JOSEPHI MEDE

COLLEGII CHRISTI

apud

CANTABRIGIENSES

aliquando Socii,

OPUSCULA LATINA

ad rem

APOCALYPTICAM

ferè spectantia;

Quorum catalogum dabit versa pagina.



CANTABRIGIÆ:

Per THOMAM BUCK almæ Academiæ Typographum.

Impensis Gulielmi Morden Bibliopolæ. 163[illegible]

En tibi Lector

DAnielis Laweni *stricturæ in Clavem Apocalypticam.*

Josephi Medi *responsio ad easdem stricturas.*

Ejusdem Responsio epistolaris ad animadversiones Ludovici de Dieu *in clavem & Com= Apocalypt.*

Ejusdem Ὀικεμένη μέλλεσα.

Ejusdem De Regno quarto Danielis.

Ejusdem Revelatio Antichristi.

Ejusdem Animadversiones in D. Hieronymi *pronunciata, & verba* Gaii *de dogmate* Millenariorum.

Ejusdem Annotationes in Apocalypsin.

Pag. 19. chart. N. in titulo pro οἰκεμένη. μέλλεσα lege, *Regnum quartum Danielis.*

En tibi Lector

Danielis Laweni Stricturæ in Clavem Apocalypticam.

Josephi Medi responsio ad easdem Stricturas.

Ejusdem Responsio epistolaris ad animadversiones Ludovici de Dieu in clavem & Comm. Apocalypt.

Ejusdem [illegible]

Ejusdem De Regno quarto Danielis.

Ejusdem Revelatio Antichristi.

Ejusdem Animadversiones in D. Hieronymi pronunciata, & verba Galli de dogmate Millenariorum.

Ejusdem Annotationes in Apocalypsin.

Pag. 19. charact. M. in titulo pro [illegible] lege, Regnum quartum Danielis.

Danielis Laweni

STRICTURÆ

In partem primam

CLAVIS APOCALYPTICÆ.

DUobus Præcognitis (quorum unum est nominis, alterum rei) valere jussis, video quatuor in primis in toto hoc discursu chronologico præsupponi quæ censurâ merentur.

Primum, quòd liber ille clausus & obsignatus sit hic ipse liber Apocalypseωs. Hanc ego opinionem ut erroneam validissimis argumentis confodi in annotationibus meis procœmialibus ad visionem secundam. Demonstravi insuper per eundem illum librum nullum alium intelligi, quàm librum veterum prophetarum clausum & obsignatum cæcis ac obstinatis Judæis, durante hac eorum reprobatione; juxta id quod prædictum erat ab Esaia cap. 29. v. 11. *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.*

Secundum, quòd nullæ fiant futurorum prædictiones ante reserationem sigilli primi. At contrarium liquet ex ipso capite quarto, & quinto, quæ sigillum primum antecedunt, & visiones continent non *præparationis*, sed *prædictionis*: multa enim in illis futura prædicantur. Constat ex Græcis codicibus; *Requiem enim habebunt, cùm dederint, procident, & adorabunt; projicient coronas, &c.* in quibus omnino servanda est temporis proprietas: In primis verò manifesta in futurum prophetia est in illis verbis seniorum Apoc. 5. 10. *Regnabimus super terram.*

Tertium, quòd tubæ necessariam habeant connexionem cum sigillo septimo. Sed hoc partim est impossibile, partim absurdum. Impossibile, quia sigillum sextum tempus est secundi adventûs; utì apparet ex illis verbis, *quoniam veniet dies magnus iræ ejus*, Apoc. 6. 17. Græcè est *ille dies, ille magnus*, id est, *notus ac celebris*; hanc enim Emphasin habet articulus duplicatus. Item ex prognosticis illius adventûs, Matt. 24. 29. quæ hoc sigillo repetuntur: At tubæ saltem sex priores secundum domini adventum præcedunt. Absurdum, quia turba palmifera gaudentium in fine capitis septimi incidit, ipso Synchronistâ confitente, in tubam novissimam. Quomodo ergò cum ea connectuntur sex tubæ priores? quæ tamen necesse est fieri, si necessariam habeant connexionem cum sigillo septimo.

Quartum, quòd quadraginta duo illi menses sint tota duratio sex tubarum. Atqui menses illi rejiciuntur in finem sextæ, Apoc. 11. 2. quomodo ergò se extendunt usque ad initium tubæ primæ? Quemadmodum sigillorum non est turbanda series: sic nec tubarum. turbatur autem cùm eventus posteriorum in priores transfunduntur: & certum est menses illos propriè & secundùm literam accipiendos esse de mensibus dierum, non annorum; ut qui propterea in dies resolvantur, Apoc. 11. 3. nemo autem facilè dicet tempus sex priorum tubarum exhauriri spatio quadraginta duorum mensium propriè dictorum.

His præmissis, venio ad ipsos Synchronismos: quorum primus est *Mulieris in Eremo agentis, Bestiæ septicipitis instauratæ, Atrii cum civitate sancta calcati, Testium interea prophetantium in sacco.*

In

In quo primùm noto bestiam diu fuisse septicipitem, antequam fuit instaurata; ac proinde non bene hîc conjungi tanquam synchrona. Antecedens ex eo liquet, quòd Joannes viderit hanc bestiam è mari ascendentem sub capite suo septimo, Apoc. 13. 1. Nam sextum caput ipsius tempore extabat, Apoc. 17. 10. Et grassata est bestia aliquandiu sub septimo illo capite antequam plagam gladii accepit: ac aliquandiu sub accepta illa plaga gemuit, antequam ex ea revixit, quæ hîc dicitur illius instauratio. vide Apoc. 13. 3. Septiceps ergò fuit ante instaurationem.

Secundò, Instauratio bestiæ initium quidem sumit cum initio peregrinationis mulieris in deserto: ipsa tamen longiùs perduravit. Nam post expiratum tempus peregrinationis eremiticæ, bestia instaurata non nisi certis gradibus, & tractu temporis declinavit ad interitum, donec tandem totaliter ac finaliter extirpata fuit ad effusionem phialæ septimæ: ortu itaque contemporant, non interitu.

Tertiò, Quadraginta duo menses non sunt tota duratio regni bestiæ instauratæ, nedum septicipitis; sed tantùm regni sævissimi, & novissimæ persecutionis. *Potestas* enim *faciendi menses quadraginta duos*, Apoc. 13. 5. non est potestas regnandi simpliciter, sed potestas grassandi pro libitu, & persequendi sanctos: ut constat ex quibusdam Græcis exemplaribus, quæ legunt πόλεμον. i. e. *faciendi bellum*.

Quartò, Atrium à Gentibus calcatum esse nescio unde hauserit Synchronista; cùm nulla ejus mentio fiat Apoc. 11. 2. Dicitur quidem atrium exterius Gentibus datum, sed datum esse ad conculcandum non dicitur. Alibi per atrium illud exterius intelligit atri-

um Israelis; quod atrium erat exterius respectu atrii sacerdotum, quod erat interius. Sed atrium Israelis comprehenditur sub illis verbis, *Et adorantes in eo.* Præter illud atrium Israelis, erat adhuc aliud atrium Gentium, in quod ingrediebantur immundi Judæi, & Gentes alienigenæ: & hoc est atrium exterius, quod nolit mensurari angelus; quia nimirum est atrium Gentium, & non Israelis.

Quintò, Prophetia testium, licèt initium sumat cum instauratione bestiæ, non tamen cum eadem terminatur: nam bestia duos illos testes vincet, & occidet; ac cadaveribus eorum aliquandiu insultabit, Apoc. 11. 7, 9. imò nè quidem cum exitu tubæ sextæ præcisè terminantur tempora bestiæ; sed potiùs cum initio & progressu septimæ, in quam incidit effusio phialarum, ut suo loco demonstrabitur. Aliud enim est urbem decimâ sui parte concuti, Apoc. 11. 13. aliud verò bestiam finaliter interire: quamvìs certus sim illum qualemcunque urbis casum certissimum fore prænuncium ruinæ statim certis gradibus secuturæ sub tuba septima; sub qua mysterium Dei de restitutione regni Israelis, & eversionis omnium regnorum adversantium consummabitur, Apoc. 10. 7.

Secundus Synchronismus est *bestia bicornis* (quæ & *Pseudopropheta*) *cum bestia septicipite* (quæ & *imago bestiæ* dicitur.)

At bestia bicornis ortu posterior est bestiâ septicipite: unde hæc *prior* appellatur, Apoc. 13. 12. Et nata demum videtur circa instaurationem illius bestiæ prioris; utpote quæ *fecerit adorare bestiam primam, cujus curata est plaga,* Apoc. 13. 12.

Deinde bestiam bicornem conditorem seu instauratorem

ratorem esse bestiæ septicipitis, nescio unde colligat autor. Illius certè nec conditor nec instaurator est. Non conditor, quia illa tempore prior est, hæc posterior. Non instaurator, quia opus illud disertè attribuitur draconi, Apoc. 13. 3. qui hoc nomine simul cum ipsa adoratur. Bestia quidem bicornis bestiæ septicipiti imaginem posuit, sed bestiæ instauratæ, cujus curata erat plaga, Apoc. 13. 14.

Præterea, *bestiam septicipitem nomine imaginis bestiæ aliàs signari solitam*, merum est Synchronistæ somnium: aliud enim bestia est, aliud imago bestiæ; & hæc passim ab illa distinguitur, bestia & imago ejus. At inquit, *Nomine bestiæ, ubi cum bestia imago bestiæ componitur, intelligitur bestia bicornis.* Fallitur, ut liquidò constat ex eo ipso loco quem citavit. Apoc. 14. 9. *Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus*, bestiam intellige septicipitem, quam bestia bicornis fecit adorari, faciendo ei imaginem, quam adorari voluit, Apoc. 13. 15. sic ut adoratio cultus sit, & honor conferendus bestiæ septicipiti; non bicorni. Opinionem tamen suam probare nititur tribus argumentis.

Primò, *Quia, juxta Græcorum codicum lectionem, imago bestiæ, quam animavit Pseudopropheta, facit ut quicunque non adorârint imaginem bestiæ occidantur.*

Secundò, *Quia ubi bestia simul adest cum Pseudopropheta, imago bestiæ non comparet.*

Tertiò, *Quia ejusdem dicitur imago bestiæ, cujus est nomen numerúsque. At nomen numerúsque non alterius sunt quàm bestiæ bicornis.*

Verùm hæc omnia inepta sunt, & frivola. Imagini bestiæ adscribitur quod Pseudopropheta fecit, illius imaginis autor, Metonymiâ effecti pro efficiente:

quod apparet ex Regio exemplari Montani; in quo legitur, καὶ ποιεῖ, *& facit* (nempe bestia bicornis.) Quam lectionem secutus Andreas, Aretas, & alii.

Interdum & imago bestiæ comparet, ubi bestia adest cum Pseudopropheta: ut videre est, Apoc. 19. 20. ibi hæc tria memorantur, *Bestia, Pseudopropheta, Imago bestiæ.*

Nomen numerúsque non bestiæ est bicornis, sed bestiæ septicipitis; quæ passim simpliciter & absolutè bestia nominatur. à qua ut bicornis distingueretur, passim in sequentibus non bestia sed pseudopropheta nuncupatur; in quo conspirant omnes interpretes.

Denique, falsum est bestiam septicipitem restitutam totam se arbitrio pseudoprophetæ tanquam supremi sui domini regendam permittere. *universa terra admirata est post bestiam septicipitem,* Apoc. 13. 1. & *omnes reprobi eam adorârunt*, Apoc. 13. 8. At pseudopropheta non seipsum, sed bestiam septicipitem adorari voluit in imagine tanquam supremum dominum, & in omnibus illius causam promovit ut ipsius procurator & minister, Apoc. 13. 12. ut bene observavit Irenæus, quem statim laudavit Synchronista. hinc eam vocat Antichristi armigeram.

Tertius Synchronismus *Meretricis magnæ seu Babylonis mysticæ cum bestia eadem illa septicipite decemcornupeta*, necessariâ indiget castigatione. Mulier enim meretrix est urbs Roma ab ipsis temporibus Joannis; ut apparet ex illis verbis, *mulier quam vidisti est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ*, Apoc. 17. 18. At bestia septiceps nondum extabat temporibus Joannis in septimo suo capite; ut liquidò constat ex istis, *Quinque ceciderunt, unus est, & alius*

(septimus)

(septimus) *nondum venit.* mulier ergò ista cum bestia septicipite quà tali non συγχρονίζει.

In primis suspecta mihi est lacinia ista, *Decemcornupeta*; quasi bestia demum facta esset decemcornupeta sub septimo, id est, novissimo suo capite. Verba Apocalypseωs clarè & disertè docent decem illa cornua ipsis temporibus Joannis extitisse: *Decem cornua sunt decem reges, qui* (in præsenti) *regnum nondum acceperunt*, quia nimirum Romano imperio nunc erant subjecti, sed *potestatem tanquam reges accipient* in futuro, Apoc. 17. 12. Certum est ex historiis, imperium Romanum, dum hæc scriberet Joannes, ex decem regnis, sive regalibus provinciis, tanquam totidem partibus principalibus constitisse; quas hoc modo enumerat ipse Strabo; Italia, Hispania, Gallia, Germania, Hungaria & Bulgaria, Græcia, Natolia sive Asia minor, Syria & Assyria, Ægyptus, Africa: de quibus consulendus Molinæus in *Complemento prophetiarum.* Quomodo autem singula quæ in Apocalypsi de decem cornibus dicuntur, decem illis regnis, seu regionibus conveniant, explicatum dedi in annotationibus meis procemialibus ad visionem sextam.

Quartus Synchronismus *Centum quadraginta quatuor mille virginum*, capite quarto, *cum meretrice Babylonica & bestia*, eodem vitio laborat, quo duo antecedentes. Non enim in solidum contemporant hæc, sed tantummodo ex parte. Meretrix extitit ipso tempore Joannis; quemadmodum & bestia sub sexto suo capite. Sed centum quadraginta quatuor mille virgines sunt recentioris originis. Incidunt quidem in tempora meretricis Babylonicæ, utpote quæ laudantur, quia se illius complexibus non coinquinârunt; sed in tempora

illius

illius poſtrema, nempe quæ primitiæ ſunt in reſtitutione, poſt finitam noviſſimam beſtiæ ſepticipitis inſtauratæ perſecutionem, Apoc. 14. 4. quando ipſa declinavit ad interitum, Apoc. 14. 8. Et quemadmodum recentioris ſunt originis; ſic longioris erunt durationis, ut quæ meretricis & beſtiæ futuræ ſunt victrices; ac proinde illis ſunt ſupervicturæ.

Quintus Synchroniſmus, *de generali omnium hactenus dictorum Synchroniſmo*, præterquam quòd ſuperiorum errores recapitulet, prorſus eſt ſupervacaneus; cùm non contineat niſi nudam repetitionem memoratorum: ideóque omitti potuiſſet, niſi numerum ſeptenarium attingere voluiſſet autor. Si duos ſequentes Synchroniſmos ſimiliter repetat, habebimus numerum octonarium.


Sextus Synchroniſmus, *atrii interioris calamo Dei menſurabilis, & prælii Draconis cum Michaele*, peccat: Primò ἀκυρολογίᾳ verborum; nam Apocalypſis expreſſè non meminit atrii menſurabilis; ideo malim retineri nomen expreſſum *templi* menſurabilis: nec ſi expreſsè illius meminiſſet, ullum hîc aliud intelligendum foret atrium, quàm atrium Iſraelis, quod autori eſt atrium exterius. Suprà enim monui atrium Iſraelis ſpiritui Apocalyptico eſſe interius; ut qui nomine exterioris atrii intelligat atrium Gentium. Deinde peccat confuſione temporum: nam licèt prælium Michaelis incidat in tempus templi menſurabilis; templum tamen non priùs & citiùs menſurandum fuiſſe, quàm commiſſum fuit prælium Draconis, neſcio quo argumento confirmari poſſit. Non enim quia proximè antecedentia ſunt contemporaneorum, idcirco eſt neceſſe utriuſq; originem æquè altã deducendam eſſe.

Quinimò illud prælium commiſſum & abſolutum fuit in ictu oculi, ut poſtea demonſtrabitur: At templi commenſuratio non eſt facta in ictu oculi.

Equidem

Equidem fateor Apocalypſin nihil habere antiquius, quódve altiùs originem ducat muliere puerperâ, cujus partui inſidiatus eſt Draco; attamen ipſe partus quem excipit prælium Draconis multò eſt recentior, cùm partus ſit noviſſimi temporis, in finali Judæorum converſione, ut poſtea demonſtrabitur: quemadmodum etiam eſt recentior templi commenſuratio, quæ incidit in noviſſima tempora tubæ ſextæ. A qua exordium velle ducere prophetiæ repetitæ, quæ nempe tempora Apocalyptica ab origine, & quaſi ab ovo relegat, eſt cum ratione velle inſanire, ut mox pluribus oſtendetur.

Septimus Synchroniſmus, qui & ultimus partis primæ, *Septem phialarum, & Beſtiæ Babyloníſque ad occaſum vergentium*, eſt veriſſimus & certiſſimus: ac proinde progredior ad Synchroniſmos partis ſecundæ, initio ſumpto ab examine præloquii, quod illi præmittitur.



Stricturæ in partem ſecundam.

IN præloquio partis ſecundæ inepta eſt illa totius Apocalypſeωs in duas partes principales partitio: quarum prior ſit *ſigillorum, in iiſque tubarum*; poſterior τοῦ βιβλαριδίου ſeu *libri aperti*, à verſu octavo capitis decimi uſque ad finem libri; quæ omnium errorum mihi videtur eſſe præcipuum fundamentum. Ineptam voco, & reprobandam puto ob ſequentes rationes.

Primò, quia confundit finem unius prophetiæ cum principio alterius. Finis prophetiæ sigillorum est in turba illa palmifera gaudentium: utpote quæ ipso Synchronistâ teste incidat in tubam novissimam: nè verò vel tantillum dubitaremus in turba illa gaudentium esse finem sigillorum, statim post eam fit mentio *silentii in cœlo facti quasi mediâ horâ:* quâ profectò nihil aliud significatur, quàm Joannem à visionibus præcedentis prophetiæ ad medium horæ quievisse; ac proinde eam absolutam esse. Ergò hic finis unius prophetiæ principium alterius est in tuba prima, quâ clangere cœpit statim post ignem è cœlo in terram missum, Apoc. 8. 5. qui certè nullus est alius quàm de quo ipse Christus dixerat Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Nè verò hìc etiam hæsitaremus in tuba prima initium esse novæ prophetiæ, præmittitur ei visio præparatoria post factum in cœlo silentium: hìc itaque principium alterius prophetiæ, quæ tamen cum fine præcedentis hac partitione confunditur.

Secundò, quia discerpit membra unius ejusdémq; prophetiæ arctissimè cohærentia: nemo enim dubitat in tubis recto ordine continuari unam eandémque prophetiam; sic ut ubi desinat quinta ibi incipiat sexta, & sexta ibi desinat ubi incipit septima. At hæc partitio finem sextæ tubæ divellit ab ipsius principio, & sic divellit, ut ex fine tubæ sextæ constituat novam prophetiam, quæ altiùs assurgat quàm tuba prima: imò originem suam trahat à sigillo primo: principium enim sextæ tubæ fuit in fine capitis noni, & illius finis incidit in principium capitis decimi: quod tamen (ut dixi) fingitur esse initium novæ prophetiæ, quæ inchoatur

choatur à prima temporis Apocalyptici periodo.

Tertiò, quia commiſcet duas ad minimum integras prophetias toto cœlo à ſe invicem diſtinctas: Nam certum eſt prophetiam libri aperti terminari cum fine tubæ ſeptimæ, quæ eſt noviſſima. Nec minùs certum eſt prophetiam de muliere parturiente eſſe novam prophetiam, ut quâ muliere nihil prius & antiquius habeat Apocalypſis, quemadmodum fatetur ipſe Synchroniſta: Quomodo ergò hæc eadem eſt cum prophetia libri aperti? Fuerunt qui ſibi perſuaderent tubas prodire ex ſinu ſigilli ſeptimi; ſed quando perveniunt ad caput duodecimum, coguntur agnoſcere initium novæ prophetiæ. Invenias ergò aliquos qui totam Apocalypſin dividunt in duas partes principales: ſed, qui poſteriorem partem inchoet à principio capitis undecimi, invenias neminem.

Profectò mulier parturiens cap. 12. eſt Synagoga Judaica, quæ patrem habet Jacobum, qui aſſimilatur Soli; matrem Rachaelem, quæ comparatur Lunæ: & deſcendunt à duodecim Patriarchis, qui ſimiles eſſe dicuntur duodecim ſtellis: gravida ipſa fuit ab ipſis diebus Joannis, & clamavit parturiens, & cruciabatur ut pareret: poſtquam templum eorum & urbs funditus à Romanis fuere everſa: quemadmodum id ipſa Synagoga confitetur ſub hac eadem Allegoria. Eſ. 26. 17. *Sicut quæ concepit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis; ſic facti ſumus à facie tua, domine.* Nondum tamen ipſa peperit; ſed inopinatus aderit illius partus in finali Judæorum converſione; cujus mentio fit apud eundem prophetam, Eſ. 66. 7, 8. *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit maſculinum.— quia parturivit*

turivit & peperit Sion filios suos. Esse enim hunc partum ultimi temporis apparet ex Joanne, qui hunc partum immediatè docet præcedere fugam mulieris in desertum, qæ incidit in novissima tempora tubæ sextæ, Apoc. 12. 6. cum Apoc. 11. 3. collatis. Hinc Micheas de eodem partu verba faciens, eundem expressè refert ad tempora novissima cap. 5. 3. *Propter hoc dabit eos*, viz. Judæos in manibus hostium suorum, *usque ad tempus in quo parturiens pariet; & reliquiæ fratrum ejus revertentur ad filios Israel.* Sic enim judico superiores prophetas interpretandos esse, ex collatione eorundem cum Apocalypsi, quæ clavis est omnis Scripturæ propheticæ. Atque hinc apparet dictam prophetiam de muliere parturiente provehi ad caput, & originem periodi Apocalypticæ; ac proinde in ea inchoari novam prophetiam.

Redeo ad rem ipsam prætermissâ hâc partitione. Affirmat Synchronista posteriorem Apocalypseωs partem quæ est τοῦ βιβλαριδίου seu *libri aperti*, ab eodem temporis Apocalyptici principio exordiri, unde prior illa quæ est sigillorum, & illius tempora relegere à versu octavo capitis decimi usque ad finem. Verùm & ista omnia pro libitu conficta, & prorsus absurda sunt. Septem sigilla fuerunt aperta: clanxerunt quinque tubæ, sexta clangorem inchoavit: discinditur ad illius finem, quem proximè excipit septima: & in fine tubæ sextæ inchoabitur nova prophetia, quæ originem ducat ab ipso sigillo primo. Quis credet istis, nisi cui libitum est posteriora prioribus, & summa imis miscere? Et quomodo superiora tempora releguntur à versu octavo capitis decimi, cùm ab illo versu usque ad finem capitis nulla omnino tempora legantur?

Quæ verò tempora ſequuntur in principio capitis undecimi, aut tempora ſunt finis tubæ ſextæ, aut tempora illius nulla ſunt. Attamen recapitulationem illam temporum putat Synchroniſta indicari tranſitione iſtâ, v. 11. cap. 10. *Oportet te iterum* (πάλιν) *prophetare.* Sed longè aliud eſt *iterum prophetare:* aliud autem *prophetare eadem*, aut *ab eodem exorſa temporis principio.* Hæc duo multùm differunt. Ego hoc dictum fuiſſe exiſtimo Joanni, in typum rei hoc tempore eventuræ, quòd nempe Eccleſia nunc ante exitum tubæ ſextæ ſit reformanda, & de novo prophetatura, tum contra, tum apud populos multos; qua in re mihi aſſentientem habeo doctiſſimum Paræum. *Joannes* inquit, *non tam in ſua, quàm in omnium præconum veritatis, qui ſub finem tubæ ſextæ futuri erant, perſona librum devorare, iterúmque prophetare jubetur. Et eſt ſenſus, oportere, ut ubi Antichriſtus ſatìs ſævierit prophetia adversùs eum reſttiuatur.*

Tandem relabitur Synchroniſta ad bimembrem ſuam partitionem, eámqe confirmari opinatur ex eo, quòd hîc idem ſit prophetiæ initium, quod fuit prophetiæ de ſeptem Eccleſiis, item de ſeptem ſigillis: quas nemo dubitat eſſe novas prophetias. Sunt autem hæc initia viſionis quidem de ſeptem Eccleſiiis cap. 1. 10. *Audivi vocem magnam à tergo tanquam tubæ dicentis.* Prophetiæ autem ſigillorum cap. 4. 1. *Et vox prima, quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum.* Denique Prophetiæ βιϐλαριδίου cap. 10. 8. *Et vox quam audieram è cælo* (ſcilicet tanquam tubæ loquentis) *rurſum loquebatur mecum.* Verùm hæc poſterior vox non eadem eſt cum prima illa, cùm hoc nomine non indigitetur: nec dicitur *audita fuiſſe inſtar*

tubæ loquentis: sed vox fuit proximè è *cælo audita*, vers. 4. ejusdem capitis: *Audivi vocem de cælò dicentem mihi, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & nè scribas ea.* Eadem ergò vox quæ v. 4. vetuerat scribere voces, nunc v. 8. jubet devorare libellum & prophetare, ut bene monet Paræus. Nolo tamen hac de re acriùs cum quoquam contendere. Dato itaque eandem esse vocem cum illa priore, non tamen indè sequetur, Quia alibi inchoavit novam prophetiam, ideo id quoque hoc loco fecisse. Certiora sunt indicia novæ prophetiæ, ut quòd singula aut inchoentur novâ visione, aut terminentur mentione secundi adventûs: quæ indicia sunt rerum, non aucupia verborum.

Visio Ecclesiarum terminatur mentione novissimæ cœnæ, Apoc. 3. 20. quæ cœna est secundi adventûs, Apoc. 19. Visio sigillorum terminatur mentione turbæ palmiferæ, turbæ gaudentium, quæ incicidit in novissimam tubam visionis tubarum, quam Paulus esse docet tubam secundi adventûs, 1. Cor. 15. 52. Visio mulieris terminatur mentione *messis*, Apoc. 14. 15. quam ipse Christus interpretatur *consummationem seculi*, Matt. 13. 39. Visio phialarum terminatur interitu Babylonis, Apoc. 16. 19. quæ incidit in secundum adventum, Apoc. 16. 14, 15. Eodem termino clauditur visio meretricis, Apoc. 19. 2, 3, 4. Visio denique Christi vincentis clauditur mentione universalis resurrectionis, & duplicis novæ Hierosolymæ. Septem itaque erant visiones, tanquam totidem totius Apocalypseωs partes principales. Sed hæc sufficiant ad præloquium: venio ad ipsos Synchronismos partis secundæ.

Synchronismum primum appellat *cardinem Synchronismorum*,

chronismorum; ego verò eundem voco cardinem vanitatum: adeò nihil est in eo veri, nihil certi. Synchronismum esse vult *sigilli septimi, quoad sex priores tubas, cum bestia septicipite, bicorni, cæterisque contemporantibus.* Sed jam antea demonstravi sex tubas non pertinere ad sigillum septimum; demonstravi insuper bestiam bicornem bestiæ septicipiti & cæteris non in omnibus nec ad amussim contemporare. Nunc demonstrabo initium bestiæ septicipitis non contemporare cum initio sigilli septimi, quod præcipuum est hujus Synchronismi fundamentum eversum ire. Bestia septiceps est ipsissimum regnum Antichristi, sub novissimo, i. e. septimo suo capite. Atqui Antichristus demum in lucem producitur sub tuba sexta, Apoc. 11. 7. vel (quod ego malim) sub tuba quinta, Apoc. 9. 11. ubi *angelum abyssi* eundem esse puto cum *bestia ascensura ex abysso*, Apoc. 11. 7. Et proculdubio est Antichristus, cùm vocetur nomine Antichristi in Græca Ecclesia recepto, Ἀπολλύων, vel ὑιὸς ἀπωλείας, 2. Thessal. 2. Hebraïcè autem nomen habet *ABADU*, *servus ille* κατ᾽ ἐξοχὴν sic dictus, i. e. *servus servorum.* Sic enim Hebræus & Syrus legunt. Quòd si quis malit legere cum correctioribus exemplaribus Græcis *Abbadon*, hoc idem significat quod *Papa-Dominus:* quam lectionem etiam retinuit vulgatus Latinus. Rectiùs igitur bestia septiceps contemporabit cum tuba quinta. Sigillum quintum tempus est persecutionis Sanctorum, ut certum est ex illis verbis, *Donec compleantur conservi eorum —— qui interficiendi sunt sicut & illi*, Apoc. 6. 11. Atqui hoc proprium munus est Bestiæ, ipsa itaque rectiùs dicetur contemporare cum sigillo quinto.

Initium

Initium septimi sigilli est in obsignatione cœtûs illius virginalis cap. 7. ipso Synchronistâ confitente; atqui obsignatio ista sequitur illustrem Domini adventum, qui describitur sigillo sexto, & in quem incidit bestiæ interitus, ut apparet ex collatione Apoc. 6. 15, 16, 17. cum Apoc. 16. 14, 15, 16. Impossibile itaque est bestiam septicipitem contemporare cum initio sigilli septimi: at (inquit ille) *cœtûs illius obsignationem suprà ostendi contemporare ad amussim cum bestia septicipite*, *parte primâ*, *Synchronismo quarto.* Respondeo; Contrarium liquet ex nostra ad eundem censurâ. quod porrò existimet obsignationem illam factam esse, nè grassantibus in orbe tubarum calamitatibus electi Dei servi extinguerentur, gratìs fingitur sine ullo fundamento: obsignationem illam dico factam esse ad novas nuptias Agni in illustri Domini adventu celebrandas, ut manifestum ex hujusce loci collatione cum 4 Esdræ 2. 38. *Videte numerum signatorum in convivio Domini:* ad quem hic certus est respectus. Scio librum istum esse Apocryphum, sed potest liber Apocryphus interdum continere quasdam antiquas & veras narrationes.

Denique falsum est, *obsignatione illa turbari non interrumpendam sigillorum seriem:* ipse enim Synchronista fatetur illam pertinere ad finem sigilli sexti, sive ad initium septimi: & meritò; quia expresse dicitur Apoc. 7. 1. Μετὰ ταῦτα, id est, *post hæc,* nempe, quæ acciderunt sigillo sexto. Ego judico obsignationem virginum & turbam palmiferam gaudentium esse totum mysterium sigilli septimi, quod demum narratur *apertum fuisse* initio cap. 8. cùm capite septimo præmissum sit illius mysterium, quemadmodum primum

mum *væ* narratur præteriisse post præmissam illius calamitatem, Apoc. 9. 12.

Sic ergò corruit etiam sequentium Synchronismorum fundamentum, eorum nempe qui ex primo isto deducuntur: quos tamen etiam examinabo, nè quis queratur aliquid à me præteritum esse aut neglectum.

Synchronismum secundum ait esse *contemporantium atrii interioris & prælii draconis & Michaelis de puerperio cum sex primis sigillis.* Atqui dimensuratio templi (sic enim loqui malim, quia textus expressè illius meminit) tempore prior est prælio draconis, ut visum suprà Synchronismo sexto parte primâ; & neutrum contemporat cum sex primis sigillis. Non dimensuratio templi, quia jubetur Joannes templum metiri sub finem tubæ sextæ, Ap. 11. 1. Jam verò finem tubæ sextæ contemporare cum sigillo primo quis dixerit? Non prælium draconis, quia illud commissum & absolutum fuit brevissimo temporis spatio, puta in momento, ictu oculi. Nam statim fuit commissum post raptum partum; & absolutum fuit ante fugam Mulieris in desertum, Apoc. 12. 13, 14. At Mulier statim & immediatè post raptum partum fugere debuit in desertum, Apoc. 12. 5, 6. Itaque momento tantummodo perduravit. Quomodo ergò potuit contemporare cum sex primis sigillis?

Accedo ad Synchronismum tertium: *phialarum cum tuba sexta.* Dicendum erat, ni fallor, *cum initio tubæ septimæ*; nam tuba septima est tuba novissima. Septem autem phialæ continent novissimas calamitates; Apocalyp. 15. 1. pertinent ergò ad tubam novissimam: tuba etiam septima est tuba consummationis, quia sub ea *consummabitur*

mabitur mysterium Dei; Apoc. 10. 7. Septem autem phialæ sunt plagæ consummationis, utpote in quibus *consummetur ira Dei*; Apoc. 15. 1. Pertinent ergò ad tubam septimam. Sed hæc parùm ad rem.

Regnum verò bestiæ sub sexta tuba labefactari cœpisse, nescio unde eruat Synchronista. Finita quidem tunc fuit potestas illa quadraginta duorum mensium; sed illa non fuit simplex potestas dominandi, sed dominandi pro libitu: Nec simplex fuit potestas vincendi Sanctos, sed persecutionis novissimæ, ut suprà à nobis fuit ostensum.

Synchronismum quartum, *mille annorum ligati Draconis, seu Satanæ, cum tuba septima, seu excidio bestiæ,* non possum non laudare, cùm sit verissimus & certissimus. Argumenta tamen validiora, & magìs cogentia ad illius confirmationem desiderarem. Certè Draco etiam fuit ligatus toto tempore parturitionis Mulieris, cùm toto illo tempore *steterit ante Mulierem, ut, cùm peperisset, filium ejus devoraret*; Apoc. 12. 4. Neque ligatus fuit post partum ejus, cùm ab illo tempore è cœlo fuerit projectus, & grassatus fuerit *in terra & mari*, Apoc. 12. 12. sicut *Mulierem* sit persecutus, & *semen ejus* Muliere latitante in deserto, Apoc. 12. 16, 17. ac conspiraverit ad Sanctorum internecionem cum bestia maris, dando ei omnem suam potestatem; unde simul cum ipso spatio quadraginta duorum mensium & ultrà *adoratur*, Apoc. 12. 18. & 13. 3, 4. Non ità diu post finitos illos menses Draco cum Bestia & Pseudopropheta ac Regibus totius terræ *congregantur in prælium*; Ap. 16. 14. tandem in illo prælio Bestia & Pseudopropheta victi mittuntur *in stagnum ignis*, Apoc. 19. 20.

&

& Draco ligatur *in Abysso mille annis*; Apoc 20. 2, 3. Mille itaque anni ligationis Satanæ numerandi sunt ab excidio bestiæ.

Ligatur Satanas, nè seduceret ampliùs gentes, Apoc. 20. 3. nempe eâ seductione, cujus statim facta erat mentio, quam proximè secutum est bestiæ excidium, Apoc. 19. 20. ergò ligatio inchoanda est à bestiæ excidio. Ligatur Satanas, ut per mille annos regnent illi qui bestiam adorare noluerint; Apoc. 20.4. Inchoanda itaque ligatio ab excidio bestiæ. nam usq; ad excidium ipsius semper fuerunt aliqui, qui bestiam noluerint adorare, & ideo fuerunt occisi. Ligatur denique Satanas, ut post mille annos illos solvatur, & conjiciatur in stagnum ignis, in quem jam antea conjecti erant Bestia & Pseudopropheta; Apoc. 20. 10. Sic enim legendum esse patet, non tantùm ex Græcis exemplaribus, sed etiam ex interpretibus Hebræo & Syro. Ergò ligatus fuit post illorum excidium, quod incidit in tubam novissimam.

Sequitur Synchronismus quintus, *mille annorum regni Christi augusti, & septimæ tubæ, seu intervalli ab excidio Bestiæ:* quem non solùm laudo, sed etiam approbo ferè omnia & singula quæ ad illius confirmationem dicuntur. nullus enim dubito, quin ad singulare istud & augustum Christi regnum pertinent, quæ dicuntur Apoc. 11. 15, 16, 17. & 19. 5, 16. & in illo regno proculdubio est consummatio mysterii Dei per prophetas evangelizati, quam sub septimæ tubæ clangorem angelus Apoc. 10. futuram prædixerat, quando nec bestiæ menses, nec testium lugentium dies, neque omnino aliquid de periodo temporis temporum, & dimidio temporis superérit amplius. planè juxta quod

Danieli prædictum fuit c.7.v.25, 26,27. & c.12.v.7.

Sextus Synchronismus est *novæ Hierusalem Agni sponsæ cum septima tuba, seu intervallo ab excidio bestiæ.* cui non possum non suffragari: hac tamen lege, ut nova illa Hierosolyma sponsa Agni, de qua Apoc.21. 2,3,4,5, 6, 7, 8. distinguatur à nova illa Hierosolyma Agni uxore, cujus descriptio sequitur eodem capite, Apoc. 21.9, 10,&c. usq; ad finem libri. Rationes hujus distinctionis dedi in notationibus meis proœmialibus ad visionem ultimam. prior illa nova Hierosolyma est *uxor sponsi, quæ se præparavit*, Apoc. 19. 6, 7. item *civitas illa dilecta*, Apoc. 20. 9.non autem posterior.

Tandem dilabor ad Synchronismum ultimum, qui est *turbæ palmiferæ innumerabilium ovantium* (Apoc. 7.) *cum tuba septima, seu intervallo ab excidio bestiæ:* in cujus confirmationem illud in primis probo, quòd turba illa palmifera statuantur esse cives novæ Hierosolymæ. De ambobus enim dicitur, quòd *non esurient neq; sitient ampliùs &c. quia Agnus pascit eos, & ducit ad vivos fontes aquarum; quódq; abstersurus sit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Itaque de quatuor postremis Synchronismis Deo meo gratias ago, quòd virum hunc doctissimum mihi habeo in illis assentientem; qui oculos mentis utriusq; nostrûm magìs & magìs velit retegere, ut propiùs intueamur mirabilia ejus!

EPOCHA APOCALYPSEΩS.

QUam nobis exhibet Synchronista Epocham Apocalypseωs, prorsus incerta est & vana: ut quæ vanis & incertis Synchronismorum fundamentis innititur, quæ ferè omnia suo loco sunt protrita. Vult duas

duas eſſe totius Apocalypſeωs partes principales: quarum prior ſit ſigillorum, in iíſq; tubarum; altera poſterior τοῦ βιβλαριδίου, à verſu octavo capitis decimi uſq; ad finem libri: quam partitionem in primis perſtrinximus ad partis ſecundæ præloquium. Vult tubas prodire ex ſinu ſeptimi ſigilli: quod falſum eſſe docuimus in ſtricturis ad præcognita partis primæ. Vult turbã palmiferam ovantium capitis ſeptimi, quæ narratur ante clangorem tubæ primæ, incidere in tubam noviſſimam; quæ demum ſequitur cap. 11. Quæ Synchroniſtæ non poteſt non eſſe horrenda prædictionum confuſio. Vult prophetiam libri aperti, quæ pertinet ad clangorem tubæ ſextæ, & cujus initium eſt à commenſuratione templi, Apoc. 10. 11. eſſe novum exordium totius Apocalypſeωs: quod nemini unquam venit in mentem; quódq; ſuprà à nobis abunde refutatum. Vult novum etiam exordium eſſe totius Apocalypſeωs in prælio Draconis cap. 12. Quin ergò nobis faciat partes tres totius Apocalypſeωs principales, & non duas tantúm. Vult prælium illud Draconis contemporare ſex prioribus ſigillis: quod demonſtravimus in unico temporis momento, in ictu oculi abſolutum fuiſſe. Vult quadraginta duos illos menſes eſſe totum tempus ſex tubarum: cùm tempora ſint finis tubæ ſextæ; aut nulla ſunt illius tempora. Ità nihil eſt certi in hac Epocha Apocalypſeωs, niſi quòd in finem ferè Apocalypſeωs rejiciat turbam palmiferam ovantium capitis ſeptimi, myſterium conſummandum tubæ noviſſimæ, mille annos ligationis Satanæ & regni Sanctorum, novam Hieroſolymam Agni ſponſam: quæ ego non dubito ad amuſſim contemporare. Hîc itaque pedem figam, & finem faciam Stricturarum mearum.

Quæstio nobilissima, & ad intelligentiam superiorum Prophetarum atq; ipsius Apocalypseωs apprimè necessaria; De *Temporibus ac momentis secundi adventûs.*

N secundo Christi adventu videtur considerandus esse longissimus quidem temporis tractus; quemadmodum in adventu ejus primo: ut probari posse videtur ex sequentibus Sacræ Scripturæ testimoniis.

Primò, ex Esaiæ 34. 8. & 63. 4. ubi tempus secundi adventûs appellatur *dies ultionis Domini*, *annus retributionum judicii Sion.* Et certum est in eo respectum haberi ad veteris Testamenti Jubilæum. Tempus itaq; erit ad minimum unius anni: alioqui Synecdoche partis esset de nihilo. Idem propheta, Esa. 65. 17. meminit *novi cœli*, & *nova terra*, quæ in secundum Domini adventum rejiciuntur, 2 Pet. 3. 13. & in illis necessariò considerandus est longissimus quidem temporis tractus, propter illud, quod apud prophetam sequitur, *Non erit ibi puer infans aut senex qui non impleat dies suos: nam puer infans centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.*

Secundò, ex Luc. 17. 22. *Venient dies quando desideretis videre unum diem*, sive *unum ex diebus Filii hominis, & non videbitis.* quod intelligendum esse de diebus secundi adventûs rectè statuit glossa ordinaria ex Beda. Id enim apparet ex duobus. Primò, quia dies illi intelliguntur, quos conabuntur ostendere Pseudo-

prophetæ dicendo, *Ecce hic*, *Ecce illic*, verſ. 13. Secundò, quia dies illi intelliguntur, qui glorioſi futuri ſunt, & illuſtres, *ſicut fulgor coruſcans de ſub cælo*; v. 24. qui dies ſunt, non præteriti adventûs primi, ſed futuri adventûs ſecundi. Profectò fruſtra diſcipuli deſiderarent dies præteritos, qui certi erant de futuris, quos præ foribus adeſſe ſemper putabant, & cervicibus ſuis imminere.

Tertiò, ex Act. 3. 20, 21. ubi tempus ſecundi adventûs appellatur in plurali *tempora refrigerii, & tempora reſtitutionis omnium, de quibus locuti ſunt omnes prophetæ.* Velle autem id accipere de temporibus æternis, eſt cum ratione velle inſanire; cùm de talibus temporibus prophetæ non ſint locuti, ut conſtat liquidò ex verſ. 22, 23. *Ipſum audietis juxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis: Et omnis anima quæ non audiverit illum, exterminabitur de plebe.* quæ prophetia eſt de finali Judæorum converſione.

Quartò, ex Act. 15. 16, 17. ubi docetur, tabernaculum David, ſive regnum Iſraelis reſtituendum eſſe in Domini reditu, & omnes Gentes eſſe ad illud aggregandas; quod certè brevi temporis ſpatio non perficietur: eſſe enim ibi ſermonem de ſecundo Domini reditu apparet potiſſimùm ex duobus argumentis. Primò, quia reditus ille futurus dicitur poſt primam vocationem Gentium: *Viſitavit primùm ſumere populum ex Gentibus, --- ſicut ſcriptum eſt, Poſtea revertar.* Item, *Ut requirant eum cæteræ Gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum:* nempe jam antea in prima Gentium vocatione; quam ſecutura eſt vocatio univerſalis. Secundò, quia ipſe Dominus promiſſam regni Iſraelis reſtitutionem paſſim rejicit in tempora ſecundi adventûs,

adventûs, ut videre eſt Matt. 10. 23. & 23. 37, 38. Lucæ 21. 28, 31. Act. 1. 6, 7.

Quintò, ex Rom. 11. 26, 27. *Omnis Iſrael ſalvus fiet, ſicut ſcriptum eſt; Veniet Redemptor ex Sion:* quibus verbis docetur noviſſimam Judæorum ſalutem, ſive redemptionem incidere in ſecundum Domini adventum. Atqui eadem illa Scriptura in eodem illo Domini adventu, verſu ſtatim ſequenti, mentionem facit pangendi novi fœderis cum illis, quod ad minimum duraturum eſt per tres generationes. Eſa. 59. 21. *Hoc fædus meum cum eis: Verbum & Spiritus non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, à modò uſque in ſempiternum.*

Sextò, ex Matt. 12. 32. ubi docetur Meſſiæ ſeculum eſſe duplex: unum præſens, alterum futurum: & in utrumque incidere remiſſionem peccatorum propriè dictam. *Non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neq; in futuro. Neque enim*, ut rectè Auguſtinus *lib.* 21. *de civ. Dei, cap.* 24. *de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non iis remittatur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus, etſi non in iſto, tamen remittetur in futuro:* ubi vim faciunt verba iſta, *etſi non in iſto,* nè quis id de tota remiſſionis patefactione interpretetur.

Septimò, ex 2. Pet. 3.8. ubi de die judicii loquens, & perditione impiorum hominum, ait, quòd *unus dies apud Dominum ſicut mille anni:* nè quis putaret tempus ſecundi adventûs nimis breve eſſe ad judicandum & perdendum impios, eò quòd in Scripturis vocetur *unus dies.* Et ſic verba interpretatus eſt Auguſtinus, vel quiſquis ille author eſt *Sermonum de Sanctis,* qui Auguſtino attribuuntur. Nec immeritò. Stultum enim

enim est cogitare velle unum diem naturalem, vel artificialem, esse apud Deum sicut mille annos: ad tempus verò quod antecessurum est judicium pertinent verba sequentia, *Et mille anni sicut dies unus:* Nè quis putaret tempus judicii nimis diu tardari, si per mille annos & plures differatur. Deus enim tempus mille annorum *unum diem* vocat in Scripturis. His postremis verbis propheta quoque usus est, Psal. 90. 4. de toto vitæ nostræ tempore: quæ licèt per mille annos duraret, attamen apud Deum esset brevissima, qui tempus mille annorum vocat *unum diem*.

Octavò, ex Heb. 3. 7, 8, 9. ubi docet, Diem terminatum esse apud Davidem in voce *Hodie:* qui futurus sit populo Dei novus Sabbatismus: non quidem æternus, sed temporalis: utpote in quem solùm quadret illa commonefactio Davidis, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Nonò, ex fine Apoc. 19. collato cum principio Apoc. 20. Nam in fine Apoc. 19. describitur secundus Domini adventus, ut manifestum est ex tribus. Primò, ex illis, *Reget eas in virga ferrea:* quod Joannes futurum prædixit in secundo adventu, Apoc. 2. 27. Secundò, ex istis, *Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium:* quod prælium est faciendum in secundo Domini adventu; utpote futurum in die illo magno omnipotentis Dei, ad quem venturus est Dominus, *sicut fur*; Apoc. 16. 14, 15. Denique ex ultimis illis verbis, *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis:* quibus indicatur bestiæ Rom. id est, ipsius Antichristi interitus; quem ipse Paulus rejicit in secundum Domini adventum, 2 Thess. 2. 8. ubi illud quoque notandum, *Et spiritu oris sui interficiet*

ficiet impium: quod prorsus idem est cum isto, *& cæteri occisi sunt in gladio oris sui*, Apoc. 19. 21. Atqui certissimum est in illo adventu numerandos esse *mille istos annos* pacis & regni sanctorum, qui sequuntur, Apoc. 20. 4.

Denique, ex Apoc. 20. 8, 9. collato cum Ezech. 39. 9, 13. ubi rejicit Joannes in secundum Domini adventum Gogi & Magogi interium; post quem tamen Ezechiel docet numerandos esse ad minimum septem annos, & totidem menses certissimè finiendos. Ergò secundus Domini adventus complectitur longissimum aliquem temporis tractum. Tale quid * Beza suspicatus est de secundo Domini adventu, qui eundem putat inchoatum fuisse à promulgato inter Gentes Evangelio: at nos eum rectiùs putamus inchoandum ab interitu Antichristi, sive excidio Bestiæ.

* *Notat. in Luc. 17.*

FINIS.

Responsio

Responsio ad
DANIELIS LAWENI
STRICTURAS
In
CLAVEM APOCALYPTICAM.

NOn videtur, Clarissime Domine, A. Lawenus vester, aut meum in Clave Apocalyptica propositum, aut quibus eam subnixam esse volui fundamentis satis attendisse: alioquin non putâsset, argumentis ex interpretationum pharetra depromptis me cessurum. Quorsum enim, obsecro, me istiusmodi telis oppugnare satageret, qui ipse interpretationem nullam præsuppono? imò nec istiusmodi sive præjudiciis, sive hypothesibus ullis in hoc negotio locum esse debere contendo. Sed hâc ejus παροψία nimiâ in præsenti omissâ, (quâ de aliàs passim erit monendi occasio) accedo ad Censuram ipsam, & primò Generalem.

Ad Censuram Generalem.

QUatuor enim, ait, in toto meo discursu præsupponi, quæ censuram merentur.

Primò, quòd liber ille clausus & obsignatus sit ipse liber Apocalypseωs. Miror unde hoc colligat. Num ex istis precatiunculæ meæ verbis, *qui solus dignus eras librum hunc accipere, & aperire?* At allusio esse potuit, non sententiæ argumentum. Certè hypothesis

 non

non fuit. Rem ipsam quod attinet, ego librum illum obsignatum, sigillorum librum esse puto, Apocalypseωs non puto. Sed esto me putâsse: non tamen huic fundamento quidquam Synchronismorum meorum superstruxi. Nec certè si Apocalypsis nihil aliud sit quàm compendium quoddam & comportatio veterum prophetiarum quæ adhuc implendæ post Christi adventum supererant; (quæ ipsius Laweni sententia est;) adeò multùm intererit an quis librum obsignatum, cum eo, librum veterum Prophetarum esse dicat, an cum aliis librum Apocalypseωs. Sed hanc opinionem in notationibus suis procemialibus in Apocalypsin ut erroneam validissimis argumentis se confodisse refert: mihi verò, qui legerim, nè verisimilibus quidem id fecisse videtur. Judicet alius.

Secundò, ait à me præsupponi, nullas fieri futurorum prædictiones ante reserationem sigilli primi. Ego verò hoc nusquam præsuppono, imò contrarium potiùs præ se ferunt verba mea in præloquio partis secundæ, lin. 8. Quid, quòd ibidem nè septem quidem Ecclesiarum visionem negavi futurorum prophetiam esse: sed in medio reliqui, nec quid de eo me interponere velle dixi?

Sed (ut sententiam meam aperiam) ità quidem sentio; saltem nihil esse prophetiæ in capitibus istis quarto & quinto sigillorum reseratione antiquius, quódve altiùs ratione rei gerendæ ascendat. & hoc quidem ad institutum meum satis erat: nec id puto Dominum Lawenum negaturum. Addo ampliùs, nec esse visionem ibidem exhibitam rei futuræ prophetiam, sed prophetiæ exhibendæ apparatum. Utut enim in Cantico Presbyterorum & Animalium inseratur

feratur aliquid de re futura, visionem tamen ipsam, prophetiam esse de futuris, id verò non magis indè sequi, quàm eandem esse historiam de præteritis, ex eo quod in eodem Cantico verba illa, *Occisus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum*, de præterito loquantur. non enim si quid in visione aliqua incidenter dicatur aut cantetur, statim illud τὸ πρᾶγμα visionis est. Sed in quarto capite (inquit) futura prædicuntur, quòd verba illa, *Dederint, procident, & adorabunt, &c.* sint futuri temporis, Græcè δώσουσι, προσκυνήσουσι, πεσοῦνται. Respondeo, futurum in Hebraismo (ejus autẽ notione passim utitur Apostolus) significare actum solitum vel debitum; ità ut hoc loco Joannes referat non quidem quid tum factum sit (ut à nonnullis exponitur) sed quid Animalibus & Presbyteris istis ex officio pro re nata faciendum esset, quódque ipse postmodum in sequela visionum semel atque iterum ab iisdem factum vidit.

Tertiò, ait me præsupponere septem Tubas esse visum sigilli septimi: hoc enim vult, cùm ait me præsupponere *Tubas necessariam habere connexionem cum sigillo septimo.* Et hoc quidem verissimè dixit, me præsupponere. præsuppono autem, & quidni præsupponerem? Annon grammaticum contextûs sensum, quo vix alius est in Apocalypsi de rerum narratarum serie clarior & luculentior, necesse fuit præsupponi? Ad præcedentium sigillorum omnium apertionem, visum aliquod subjicitur rem sigillo significatam exhibens. Ad apertionem primi, *Aspexi,* inquit, *& ecce equus albus*, &c. Ad apertionem secundi, *Prodiit equus rufus,* &c. ad apertionem tertii, *Aspexi,* inquit, *& ecce equus niger*, &c. & sic in quarto, quinto,

& sexto. Quis igitur pari ratione non credat, quod septimi sigilli resignationi subjicitur, esse ejus sigilli visum? Quomodo absurdum non est affirmare, solius sigilli septimi aut visum nullum esse, aut ejus descriptionem sigilli apertioni præmitti præter omnium Sigillorum, imò Tubarum & Phialarum morem? *Cùm aperuisset*, inquit, *sigillum septimum, factum est silentium in cælo quasi per semihoram: & vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.* Aut hîc clarum est, rem sigilli septimi describi, aut omnino fatendum nihil esse in hoc libro de ordine certi, sed quidvis cuivis pro libitu præponendum aut postponendum, nullâ sensûs Grammatici ratione habitâ. Hoc viderunt ex veteribus Andreas & Aretas: ex Pontificiis Lyranus, Aureolus, Ribera, Alcazar, Viega, Cornelius à Lapide: ex nostris Junius, Graserus, Brightmannus, Napierus, Reverendissimus Episcopus Aberdonensis, Clarissimus Alstedius. Qui omnes pro concesso habent, rem seu visum sigilli septimi esse mysterium tubarum. Nec crediderim quenquam interpretum id unquam negaturum fuisse, nisi in visionum dispositione magis ad apparentem nescio quam interpretationis concinnitatem, quàm ad naturalem & simplicem textûs sacri mentem respexisset.

At *hæc dispositio*, inquit, *absurda est, ex ipsius Synchronistæ hypothesi; utpote cui turba palmifera capitis septimi incidat in tubam novissimam. quomodo ergò cum ea connectuntur sex tubæ priores? quod tamen necesse est fieri, si &c.* At verò Synchronista nusquam connectit turbam palmiferam cum prioribus sex tubis. Fallitur Lawenus si me *Cœtum centum quadraginta quatuor mille obsigna-*

obſignatorum, & *Turbam palmiferam innumerabilium gaudentium*, pro iiſdem habere putat. Diverſa ſunt & diverſorum temporum. Quæ quidem junctim totum ſigilli ſeptimi, id eſt tubarum, intervallum pervadunt. Seorſim verò coetus obſignatorum cum ſex primis tubis, turba palmifera cum tuba ſeptima συγχρονίζει. Inſpice ſodes ſchematiſmum meum.

At *impoßibilis eſt*. Quid ità verò? *Quia ſigillum ſextum tempus eſt ſecundi adventûs. At tubæ ſaltem ſex priores præcedunt adventum Chriſti.* Hoc ſcilicet eſt (quod dixi) viſionum ordinationem ex privata interpretatione ſuſpendere: ego verò pernego ſigillum ſextum eſſe tempus ſecundi adventûs. neque hujuſmodi interpretamentum ev verbis illis ὅτι ἦλθεν ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς αὐτοῦ, aut ex prognoſticis illis Matth. 24. 29. exculpi poteſt. non ex appellatione *diei magnæ*: eam enim integram habes Zeph. 1. 14, de clade Judææ uſurpatam; ἐγγὺς ἡμέρα κυρίου ἡ μεγάλη· & verſ. 15. ἡμέρα ὀργῆς ἡ ἡμέρα ἐκείνη. Alibi quoque ſimilis eſt apud prophetas de judiciis particularibus *diei Domini* uſurpatio: ut Eſa. 13. 13. *Dies iræ furoris Domini*, de onere Babylonis: Jer. 46. 10. de clade Egyptiorum, *Dies ille Domini Dei exercituum dies ultionis*. Quod verò hic urget de geminato articulo ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη, nullius eſt ponderis: fit enim ex conſuetudine linguæ cùm adjectivum poſtponitur, ἡ μεγάλη ἡμέρα, καὶ ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη, tantundem valent. Accedit quòd apud Zephaniam quoque in Hebræo geminetur articulus היום ההוא quaſi ἡ ἡμέρα ἡ ἐκείνη· quod Græci reſpuunt. Nec in cætera hujus ſigilli deſcriptione omnino quicquam eſt, quod non aliis, citra magnum illum univerſalis judicii diem, rerum converſionibus & ruinis deſcribendis à prophetis

Druſius ad cap. 1. Joelis. Dies Domini. *genus loquendi forinſe; ut ſi dicas,* Judiciū Domini. *quomodo Apoſt.* Diem humanum *dixit pro* Judicium humanum, 1. *Cor.* 1. 3.

prophetis jamdudum adhibitum fuerit. Communes sunt hæ magnarum calamitatum & horridiorum cladium imagines Orienti usitatæ, ut nostris quoq; poëtis sua sunt schemata, suæ picturæ. Videamus de singulis.

Ecce, (inquit c. 6. vers. 12.) *terræmotus magnus factus est*, Græcè σεισμὸς, id est, *cæli terráque motus*. Terræmotus autem hujusmodi (teste Apostolo Heb. 12. de loco Haggæi, c. 2. v. 7, 8. *Adhuc semel, & ego commovebo cælum & terram*) denotat τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν; *mutationem eorum quæ commoventur*. Idem nos de hoc cœli terræque motu in Apocalypsi putemus. Sequitur; *Et sol factus est niger ut saccus cilicinus, & luna facta est ut sanguis*, id est, per ellipsin adjectivi, *Rubicunda ut sanguis*. Periphrasis autem est deliquii luminarium ubi sol ater apparere soleat, luna verò rubicunda: cui planè geminum est illud Esa. c. 13. v. 10. de vindicta Babylonis: *Obscurabitur sol in exortu suo, & luna non splendere faciet lumen suum*. Græcè, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει φῶς αὐτῆς, ut Matt. 24. 29. Adde Ezech. 32. 7. de clade Pharaonis, *Et operiam cælos, & nigrescere faciam stellas ejus; solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum, &c.* Item Joel 2. 10. de horrenda Judææ vastatione ab exercitu locustarum Aquilonarium, *A facie ejus*, inquit, *contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Sed ohe! jam satìs est. Vide tamen Jer. 4. 23, 24 &c. de excidio Judææ; ubi omnia in antiquum chaos rediisse putares.

Vers. 13, 14. *Et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut ficus abjicit grossos suos cùm vento magno concutitur. & cælum abscessit* (vel *cælum evanuit &c.*) *sicut liber*

liber convolutus. id eſt, Stellæ cœli diſparuêre quemadmodum literæ evaneſcunt libro veterum more convoluto. Ellipſis enim eſt utrobique prioris ſubſtantivi Hebraiſmo familiari, ut Deut. 20. 19. 2. Reg. 18. 31. & alibi paſſim. ità ut hoc de cœli diſparitione, & illud de ſtellarum caſu mutuò ſeſe explicent. Integer autem locus deſumptus eſt ex Eſ. 34. 4. ubi eâdem planè imagine, ſed inverſo ordine, depingit Sp. ſanctus cladem Idumeæ: *Convolventur*, inquit, *ſicut liber cœli, & totus exercitus eorum* (id eſt, ſtellæ) *decident ut folium è vite, & ut deciduus groſſulus è ficu.* cujus ſententiam aliquantò clariorem reddere voluit Spiritus Apocalypticus duplici verborum additamento, illinc τὸ ἀπεχωρίσθη, hinc ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη. porrò de eadem clade Edomitica haud mitioribus, quàm Eſaias, circumſtantiis, agunt Obadias, Jer. c. 49. à verſ. 7. ad 22. Ezech. c. 35. tot. & 25. verſ. 12. quod idcirco moneo nè quis hunc quoque locum, cum myſticorum ſenſuum admiratoribus, ad magnum illum univerſalis judicii diem detorqueat; *Omnes montes & inſulæ è ſuis locis emotæ ſunt,* ſcilicet, ut in terræmotibus fieri nonnunquam contigit. de montibus autem ſimilem imaginem vide Jer. 4. 24. Ezek. 38. 20.

Reſtant verſ. 15, & 16. *Reges terræ & magnates, &c. abſconderunt ſe in ſpeluncis & petris montium, dixeruntque montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* Fœda imago eſt quà fugientium & latitantium, quà pro rerum ſuarum deſperatione vitæ tædentium: cui ſimilem habes de clade Hieroſolymitarum Luc. 23. 30. item Hoſ. 10. 8. de clade Samariæ ejúſq; idolorum: ſed integram Eſa. 2.

 18, 19.

18, 19. Hæc autem paulò fusiùs ostendere visum fuit, nè Dominus Lawenus me absq; ratione negâsse putaret sigillum sextum esse tempus secundi adventûs: cujus verò temporis, & cujusmodi rerum conversionibus & ruinis applicandum sit, non est hîc dicendi locus. Pergo ad cætera.

Quartò, hypothesibus meis annumerat, quòd quadraginta duo illi menses sint tota duratio sex Tubarum. At hæc hypothesis non est, sed conclusio ex præmissis Synchronismis necessariò sequens. *At* (inquit) *menses isti rejiciuntur in finem sextæ Tubæ*, Apoc. 11, 2. Nego: non est caput undecimum pars visionis Tubæ sextæ; sed nova prophetia, ut postea videbitur. *Sed certum est* (inquit) *menses illos propriè & secundùm literam accipiendos esse de mensibus dierum, non annorum; proindéq; istis temporum angustiis sex Tubarum intervallum includi non posse*. Magnum verò postulatum: miror illud doctissimo viro certum esse, quod à plerisque nostrorum non modò negari, sed & magno studio impugnari noverit. Hoccine autem pro concesso sumendum fuit? Mihi contrà inter alia illud argumento est, menses istos secundùm literam accipi non posse, quòd Bestia cujus duratio fuit coetui centum quadraginta quatuor mille obsignatorum, coetus autem obsignatorum sex primis tubis contemporet, Tubarum verò res tantillo tempore decurri non posse. Adhæc, si tres isti dies & dimidium mortis testium, quæ pars sunt dierum mille ducentorum sexaginta, seu mensium quadraginta duorum, literaliter accipi nequeant; tum neq; dies mille ducenti sexaginta, seu menses quadraginta duo, sic accipi debent. At tres istos dies & dimidium diei literaliter accipi non posse,

patet

patet ex iis quæ tunc gerenda prædicuntur. Quis enim credat tridui & dimidii diei spatiolum, aut famæ necis testium per orbem disseminandæ, aut legatis cum muneribus ultro citróque inter gentes mittendis sufficere? imò nè parandis quidem muneribus sufficeret. Adde quòd dimidium diei, seu horæ duodecim, si literaliter accipias, actionibus hujusmodi determinandis prorsus ineptum sit. non enim ad horas istiusmodi res observari solent, quinimo ad menses, saltem ad dies integros.

Responsio ad Censuram Specialem & primò Ad Censuram Synchronismi primi.

AD primum Synchronismum, *Mulieris in eremo agentis, Bestiæ septicipitis instauratæ, Atrii calcati*, & *Testium prophetantium in sacco*, primùm illud notat, *Bestiam diu fuisse septicipitem, antequam fuit instaurata*, at *proinde non bene hic conjungi tanquam Synchrona*. Putat scilicet, me nomine *Bestiæ septicipitis* Bestiam sub novissimo tantùm seu septimo capite agentem intellexisse. In quo fallitur. Ego enim Bestiam septicipitem vocavi διακριτικῶς Bestiam illam primò descriptam, quocunq; statu; quia cum tot capitibus eam Spiritus ubique, etiam sub sexto capite, videndam exhibuerit. Quamvìs enim non simul, sed ordine & deinceps capita vices suas egissent, tamen Bestia ipsa una eademq; censetur omni statu. Addidi autem *instauratam*, ut novissimum ejus statum designarem; nè quis me cum Bestia simpliciter, & omni statu, Synchronismum hìc astruere velle existimet, sed tantùm novissimo. Sed nè sic quidem in tuto res

 est.

est. Nam porrò inquit *Bestiam etiam aliquandiu sub septimo illo & novissimo capite grassatam esse antequam plagam gladii accepit, ex eâque denuo revixit.* Ad hæc, *Menses quadraginta duos, nec esse totam durationem regni Bestiæ instauratæ, sed sævissimæ & novissimæ persecutionis.* Et hîc quidem sibi nudè affirmanti credi postulat, argumentum enim nullum affert.

Ego verò contrà assero nullum alium Bestiæ septicipitis statum cap. 13. describi, quàm instaurationis, esséque eum statum integrum Bestiæ capitis novissimi. Quicquid enim mali bestia fecisse dicitur, quicquid cultûs & adorationis eidem ab incolis terræ delatum est, id omne post instaurationem ipsius seu plagæ curationem factum legitur: *Et vidi*, inquit, *unum ex capitibus ejus* ὡς ἐσφαγμένον εἰς θάνατον, *quasi lethaliter occisum fuisset:* (nempe non nunc vidente Joanne, sed ante hunc exortum suum:) *sed plaga ejus sanata fuit:* (nimirum statim ab exortu suo aut in ipso:) *& admirans universa terra secuta est Bestiam*, (nempe jam sanatam,) *& adorârunt Draconem, &c. Túncque datum est ei os loquens grandia, & blasphemans, &c. & aperuit os suum adversus Deum, &c.* Omnia hæc post sanationem facta sunt, sed ante sanationem nihil est quod fecisse legitur, nec ei quicquam honoris à Gentibus delatum. fuit igitur instauratio ista Bestiæ novissimi capitis (quo eam statu Joannes è mari emergentem vidit) non fatum aliquod posterius, sed ipsa nativitas. A reliquorum enim capitum singulis ad caput sequens sine plaga transitum est. Atqui in transitu à sexto ad novissimum lethali vulnere decubuit Bestia, quo eam vulnere sauciam (id est, sexto capite vulneratam) Joannes è mari emergentem vidit: non vidit

eam cùm vulneraretur; siquidem τὸ ὡς ἐσφαγμένον sensu plusquamperfecti accipiendum est, quemadmodum suprà c. 5. v. 6. *Vidit in medio presbyterorum & animalium Agnum stantem* ὡς ἐσφαγμένον, *quasi mactatus fuisset*, non eo tunc vidente mactatum. Hic sensus simplicissimus est, quem litera & ordo contextûs ultro suppeditat; à quo temerè recedendum non est, ubi nec ratio nec necessitas ulla ad id compellit. Frustra igitur est Dominus Lawenus, dum Bestiæ instaurationem unáq; menses illos quadraginta duos ad supremam & novissimam Bestiæ persecutionem rejiciat; nisi eodem quoque rejicere velit Bestiæ adorationem, grandiloquentiam, blasphemiam, & (ut verbo dicam) omnia in universum Bestiæ facinora; sicque Bestiam nobis cudet Antichristianam, cujus per tot secula nulla prædicentur facta, nulla persecutio. Sed nihil agens nè cogitari quidem potest quòd sit. Sed quod ferè prætermiseram, De mensibus Bestiæ in novissimam ejus persecutionem rejiciendis lectionem Complutensem sibi favere putat; quia scilicet, pro *potestatem faciendi menses quadraginta duos*, legit *potestatem bellum faciendi*. Hoc verò ut neutiquam ei patrocinatur, (cùm totum bestiæ dominium non aliud sit quàm quoddam contra sanctos bellum,) ità cùm neque interpres Latinus, neque Syrus eam vocem agnoscant, ad hæc, cùm ex quindecim Stephani exemplaribus duo tantùm eam habuerint; omnino in eam sententiam devenio, à Sciolo aliquo additam esse, qui vim verbi ποιεῖν *vivendi & durandi* significatione cum nominibus temporis ignoraverit. de qua vide Act. 15. 33. 2. Cor. 11. 25. Jac. 4. 13.

De Bestia & Muliere.

HUic Synchronismo speciatim opponit, *instaurationem Bestiæ initium quidem sumere cum initio peregrinationis Mulieris in deserto, ipsam tamen longiùs perdurare.* Sed si eadem sint & æqualia tempora Mulieris & tempora Bestiæ, ut ipse quidem fatetur, quî fieri possit, ut quæ eodem tempore incipiant, non etiam simul desinant, fateor me non capere. Sanè apud Mathematicos magnitudines æquales sunt etiam congruæ, id est, prima primis, media mediis, extrema extremis respondent.

De Atrio Exteriori à Gentibus calcato.

A*Trium à Gentibus calcatum esse se nescire*, ait, *unde hauserit Synchronista, cùm Apoc.* 11. *tantùm dicatur illud Gentibus datum esse.* Dicam unde hauserim. Putabam Atrium exterius & Civitatem sanctam sese mutuò in hac visione explicare. quia nimirum Atrium exterius locus fuit ubi Civitas sancta conveniret, proindéque dictum *Atrium Israelis.* Imò in deserto, unicum tantùm atrium habente Tabernaculo, (quò non nisi Sacerdotibus & Levitis ingredi fas erat) Atrium exterius nullum erat præter castra Israelis ceu Civitatem sanctam. Accepi igitur acsi scriptum fuisset, *Atrium quod extra templum est nè metiaris, nam datum est Gentibus, & calcabunt illud mensibus quadraginta duobus.* Nam enallage Substantivi pro Relativo non infrequens est, tum in hoc libro, tum alibi, nempe aut Substantivum quod præcessit repetendo, aut ejus Synonymum loco Relativi substituendo. cujus exemplum vide Act. 25. 21. & sanè quid aliud esse

dicemus

dicemus *Gentibus dari*, hoc est, occupandi potestatem fieri, quàm *calcari?* & quid tandem calcarent Gentes nisi id quod datum fuerat? Adeò ut hæ quoq; voces non minùs quàm *Atrii* & *Civitatis sanctæ* mutuò sese explicare videantur.

Sed ut adhuc magis vapulem, addit præterea, *Atrium hoc exterius apud Joannem non esse*, quod ego sentio, *Atrium Israelis, sed Atrium Gentium*, *Atrium verò Israelis sub illis verbis intelligi*, *ET ADORANTES IN EO.* Sed hîc mirum est quàm fallitur. Nusquam enim in tota Scriptura Atrium illud Gentium (quod prophanum erat, non sacrum) Atrii exterioris nomine intelligitur. Sed Atrium Israelis, id est, populi Israelitici. Neque populus in eo atrio adoratum veniebat ubi altare situm erat, sed Sacerdotes & Levitæ: quod eum Drusius docere potuit ad hunc locum. Res sic se habet.

Τὸ Ἱερὸν (quo nomine universum Templi ædificium complector) gemino discriminabatur atrio: uno interiori, in quo templum ipsum (Ναὸς) cum altari holocausti situm fuerat, patebatq; solis Sacerdotib' & Levitis: altero exteriori, quod *Atrium magnū* dicitur 2. Paral. 4. 9. Ezechieli plusquam duodecies חצר החיצונה id est, Αὐλὴ ἡ ἔξωθεν seu ἐξωτέρα. Hoc Israelitarum erat seu populi Israelitici, ideòq; *Israelis Atrium* nonnullis dictum; quamvìs alioquin speciatim sic vocabatur ea hujus Atrii pars quæ virorum esset. Priùs Atrium nomine *Templi* & Θυσιαστηρίου à Joanne circumscribitur: ubi Θυσιαστήριον, non Altare tantùm holocausti, quod inibi situm erat; sed totum Altaris, id est, Sacrificii locum designat; ut ex illis verbis colligi potest, καὶ προσκυνοῦντες ἐν αὐτῷ, id est, ἐν τῷ Θυσιαστηρίῳ. Quomodo

&

& θυσιαστήριον sumitur cap. 14. vers. 18. & cap. 16, 17. Vide Bezam. unde Lexicon vetus Θυσιαστήριον, *Altarium, Sacrarium*. Posterius Atrium appellatur Αὐλὴ ἡ ἔξωθεν τοῦ ναοῦ, id est, per ellipsin prioris Substantivi Hebraismo non ignotam, ἡ ἔξωθεν τῆς αὐλῆς τοῦ ναοῦ, *Atrium quod est extra templum*, καὶ τὸ θυσιαστήριον seu *altarium*; in quo cùm Gentes præter jus & fas admissi stabularentur, nequaquam mensurari sed ejici jubetur & pro prophano haberi. Duobus hisce Atriis (quorum & non plurium * Scriptura meminit) posterioribus seculis, in templo nimirum Herodiano, tertium additum fuit, quod *Gentium* & *immundorum* dicebatur; sed pro sacro non habitum. unde in columnis ibi positis inscriptum fuit tum Græcis tum Latinis literis (Josepho teste) μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι, *In Atrium sanctum alienigenam transire non debere*. De Bell. Jud. l. 6. c. 6, sive 14.

* *Vid.* 2. *Paral.* 33. 5.

De Bestia & duobus Testibus.

PRophetia Testium, inquit, *licèt initium sumat cum instauratione Bestiæ, non tamen cum eadem terminatur*. Hoc ego tantundem intelligo, quantùm illud de Bestia & Muliere. Nam si dies mille ducenti sexaginta initium sumant cum mensibus quadraginta duobus, quî fieri potest ut non simul terminentur? si simul, ergò cum exitu tubæ sextæ aut ineunte septima; nec enim ulteriùs prorogari potest Testium prophetia.

Ad Censuram Synchronismi secundi.

BEstia bicornis, inquit, *ortu posterior est Bestiâ septicipite*. Fateor, quà *septiceps* est; non quà *decem-*

cornupeta. neq; ego hîc Bestiam bicornem cum septicipite compono, alio quàm instaurationis seu capitis novissimi statu. In transitu à sexto capite ad novissimum lethali vulnere decubuit bestia, ut jam antea dixi; quo vulnere omnino periisset, nisi medicam ei manum commodè adhibuisset pseudopropheta. Hoc autem statu (instaurationis nimirum) fatetur Lawenus bestiam bicornem septicipiti coævam esse. Ait enim, *Nata demum videtur circa instaurationem bestiæ prioris, utpote quæ fecerit adorari bestiam primam, cujus curata est plaga.* Hoc cùm ipse dixerit, non video cur me reprehendat, quòd bestiam bicornem *septicipitis* (instauratæ nimirum) *conditorem* seu *instauratorem* vocaverim. Annon qui de novo adorari fecit, post potestatem ex lethali plaga intercisam, aut collapsam, instaurare censendus est? At, inquit, Bestia illa *prior* dicitur. Scilicet, non *temporis*, sed *narrationis* ordine. Nullum enim hîc bestiæ septicipitis statum agnosco à Joanne visum, præterquam instaurationis. *At opus illud instaurationis*, inquit, *draconi tribuitur, non pseudopropheta.* Respondeo; Cessit quidem draco potestatem suam bestiæ; sed eandem bestiæ conciliavit pseudopropheta, tum cùm orbis incolis persuaserit, ut facerent imaginem bestiæ vulneratæ, imaginem (ut videtur) ejus statûs quo plagam acceperat; quâ imagine factâ, bestia illa pridem sauciata *revixit*. Sic enim referri & exponi possunt verba ϗ ἔζησε v. 14. quamvìs etiam non incommodè referri possunt ad descriptionem bestiæ priùs factam, eo sensu, acsi diceretur Joannis personâ, *ut facerent imaginem Bestiæ*, Bestiæ nimirum illi quam ego sauciatam denuóq; sanatam me vidisse dixi.

Ità enim sentio, Joannem utramque bestiam simul emergentem vidisse: hanc ex mari, illam ex terra: priùs autem ejus, quæ ex mari capite sauciato ascenderat, historiam describere; deinde ejus, quæ ex terra. Nam quæ simul gesta sunt, simul tamen narrari non potuerint; sed seorsim & deinceps. Primò igitur septicipitis sanatæ tyrannidem & blasphemias recensere: Postea ut ei vulneratæ bicornis medicam manum adhibuerit, populos in obsequium ejus flexit, eíque potestatem conciliavit, cujus ipsa præfecturam gereret, cæteráq; quæ fecit in conspectu ejus.

Ad Censuram appendicis de alternatione nominum Bestiæ, Imaginis Bestiæ, & Pseudoprophetæ.

JAm appendix illa de alternatione nominum non somnium fuit, sed conjectura probabilibus argumentis subnixa. Ejus duæ quasi partes. Una, imaginem, quæ dicitur *bestia*, esse ipsam bestiam septicipitem sub instaurationis statu. Altera, ubicunque bestia cum imagine bestiæ conjunctim legitur, ibi *bestiæ* nomine non decemcornupetam, sed bicornem intelligi. De primo, Quòd dixi, imaginem bestiæ esse ipsam bestiam septicipitem sub instaurationis statu; eo sensu dixi, quo dici solet *Anima cujusque est quisque*. Ità enim etiamnum vigilans sentio, imaginem illam esse (non, quod Lawenus vult, idolum magicum, sed) bestiæ instauratæ formam, juxta quam instaurari dicitur. Bestia scilicet novissimi capitis, pseudopropheta auspice, facta est imago bestiæ sexto capite mactatæ, id est, draconis septicipitis, qui draco quasi revixisse

Bestia septimi capitis est imago Bestiæ sexto capite mactatæ, vel imaginem gerit &c.

vixiſſe dicitur. Eſſe enim draconem ſepticipitem (*ſepticipitem* dico non *ſimplicem*) ſexti capitis beſtiam ex eo liquere poteſt, quòd eidem noviſſimi ſeu ſeptimi capitis beſtia in eodem throno proximè ſucceſſerit. ſic enim colligo, Draco thronum ſuum ceſſit beſtiæ capitis noviſſimi; ergò deceſſor ejus fuit, ſeu penultimi capitis beſtia. Hujus imaginem (*draconiſmum*, ſi libet, voca; aut quid ſi *dæmonolatriam?*) noviſſimi quoque capitis beſtia, bicornis iſte draconiloquus adeò inſculpi curavit, ut qui eam adoraverit, draconem pridem debellatum quaſi de novo adorâſſe dicatur.

Sanè citra imaginem iſtam (juxta quam beſtiam adorabant ii quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni) beſtiam adorare (quo ſenſu hîc dicitur) non magìs impium fuiſſet, quàm cuivis alii poteſtati mundanæ morem gerere. Hoc autem oſtendo, quia *Beſtiam adorare* ex Hebraiſmi & Orientis uſu nihil aliud eſt quàm *eidem ſubjici*: id quod ex eo apparet, quòd verbo *Adorandi* ἐξηγητικῶς ſubjungitur verſ. 4. *Et adorârunt beſtiam dicentes, Quis ſimilis beſtiæ, & quis potis eſt belligerare cum ea?* Beſtiam igitur adorare eſt Beſtiæ ſe dedere tanquam potentiori, & cui nemo ſit reſiſtendo, & belligerando. Quo eodem ſenſu terra ipſa, non modò incolæ ejus, beſtiam *adorare* dicitur verſ. 12. id eſt, *ei ſubjici*: καὶ ἐποίει (inquit) τὴν γῆν καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας ἵνα προσκυνήσωσι &c. de hac notione verbi προσκυνεῖν, vide Gen. 27. 29. 37. 7. 49. 8. Item Eſa. 45. 14. At beſtiæ juxta imaginem ſuam ſubjici quâ draconem ſepticipitem referat, id verò in Deum blaſphemum eſt & impium. Unde qui ſic beſtiam adorant, in beſtiam adorando *draconem adorare* dicuntur, verſ. 3, 4.

Ad alteram appendicis partem venio. Dixi, Ubicunque Bestia & Imago ejus tanquam jugales audiuntur, ibi *Bestiæ* nomine bicornem intelligi. De hoc fatebor ingenuè meipsum jamdudum dubitare cœpisse, ex quo observaverim copulationem istam, *Bestiam & Imaginem ejus* per figuram Ἓν διὰ δυοῖν exponi posse, quasi bestiam in imagine, vel juxta imaginem ejus, vel quid simile: quod tamen alium forsan non movisset. Utut sit, in neutro videtur Lawenus argumentis meis satisfecisse. Ad id quod de imagine bestiæ adduxi, Dici *eam facere ut quicunque non adorârint imaginem bestiæ* (id est, seipsam) *occidantur*, id verò alterutrius bestiæ opus videri; respondit, *Imagini bestiæ adscribi quod pseudopropheta facit imaginis illius autor, metonymiâ effectûs.* Mira verò metonymia! quâ actio agentis circa objectum tribuatur objecto in seipsum, cujusmodi credo metonymiæ exemplum nullum dari posse. Scio quidem effecto nonnunquam tribui actionem causæ principalis in objectum ab utroque diversum; sed non cùm effectum ipsum actionis objectum fuerit. Porrò huic responso præsidium quærit in Editione Complutensi, quæ unà cum Andrea (diceret Areta) legit καὶ ποιεῖ, *& facit*, nempe Bestia bicornis. Sed dixerim lectionem hanc corruptam videri, & fortasse Aretæ ævo natales suos debere. R. Stephanus non annotavit, quia, ut conjicere est, in nullo suorum codicum reperit. Aut conjunctionem καὶ ante verbum λαλήσῃ pro depravatæ lectionis argumento habuit, ut quæ in sequenti membro postulare videatur καὶ ποιήσῃ.

Quod dixi, Ubi Bestia cum Pseudopropheta simul adsit, ibi imaginem bestiæ non comparere, opponit

Apoc.

Apoc. 19. 20. *ubi ſimul comparent Beſtia, Imago beſtiæ, atque Pſeudopropheta; ut ibi Beſtiæ nomine Pſeudopropheta intelligi nequeat.* Reſpondeo; in eodem quidem verſu comparere, ſed combinatione & ſententiis diverſis. Prima combinatio eſt Beſtiæ & Pſeudoprophetæ illis verbis, *Et comprehenſa eſt Beſtia & cum ea Pſeudopropheta.* Secunda eſt Beſtiæ & Imaginis ejus; ubi dicitur, *Seduxit eos qui acceperant characterem Beſtiæ, & adoraverant Imaginem ejus.* Poſſum igitur affirmare primâ combinatione Beſtiam dici *Septicipitem Beſtiam*; ſecundâ verò, *Bicornem.* Quòd verò paulò pòſt obtendat, Adorationem ſoli Beſtiæ Septicipiti non Bicorni competere, utpote de qua illud ſolummodo dicatur, quòd *fecit adorari Beſtiam Septicipitem,* Reſpondeo; De Bicorni beſtia & illud quoq; dici, quòd exerceat omnem ἐξουσίαν beſtiæ Septicipitis in conſpectu ejus; hujus autem ἐξουσίας partem vel præcipuam eſſe adorationem accipere; ut apparet v. 7, 8. Præterea, cùm *Beſtiam adorare* nihil aliud ſit, quàm homines ſeſe imperio ejus ſubjicere; conſtat beſtiam abſque adoratione beſtiam eſſe non poſſe.

Quod porrò ait, ad tertium meum argumentum, *Nomen numerúmque beſtiæ, beſtiæ Septicipitis eſſe, non Bicornis*; novit doctiſſimus vir, illis contrarium videri, qui ſolam beſtiam Bicornem pro Antichriſto habent, Beſtiam autem primam pro imperio Romano Ethnico; quibuſcum tamen ego de interpretatione non ſentio.

Denique falſum eſſe ait (quod mihi etiam in hac diſſertatione excidit) *Beſtiam Septicipitem reſtitutam totam ſe arbitrio Pſeudoprophetæ tanquam ſupremi Domini regendam permittere.* Ego verò id ipſum verbis

illis innui puto, quibus dicitur, eam omnem potestatem bestiæ prioris exercere in conspectu ejus. Sed hæc omnia interpretatione multò magìs clarescerent, nisi quòd ab ea, juxta instituti mei legem, hîc prorsus abstinendum sit.

Ad Censuram Synchronismi tertii.

TErtius *Synchronismus*, inquit, *MERETRICIS ET BESTIÆ SEPTICIPITIS DECEMCORNUPETÆ, castigatione indiget; quia Mulier meretrix, id est, urbs Roma, jam tempore Joannis extabat, quando bestia Septiceps capitis novissimi adhuc futura erat.*

Respondeo; Mulier quidem Joannis ævo fuit, & ante Joannis ævum, eadémque toto illo tempore bestiâ reginâ; sed Meretrix non fuit Mulier nisi bestiâ demum novissimi capitis agente vicem. Siquidem *meretricis* nomine Scriptura mœcham intelligit; jam mœcha non est, nisi quæ fidem conjugalem violaverit. At Civitas illa magna nondum Joannis ævo Christo in manum convenerat, ut Mœcha dici potuisset. Dixi ergò Meretricem, non Mulierem, bestiæ non septicipiti simpliciter, sed ei jam decemcornupetæ contemporare.

Sed suspecta est mihi, inquit, *lacinia ista, DECEMCORNUPETA; quasi Bestia demum facta esset Decemcornupeta sub septimo, id est, novissimo ejus capite.* Ità est omnino. Pictores quidem hîc pro libitu decem cornua in septem capita distribuunt, aliis singula, aliis pro liberalitate sua bina largientes. At hoc non tantum inconcinnum est, sed etiam falsum. Joanni

anni enim solum caput septimum, situ (in illa capitum sese invicem scandentium scalâ) summum, vice novissimum, cornuum gestamine superbit: id quod sic probatum dabo. Florente capite florescunt cornua; quo occidente, etiam cornua indè enascentia occidere necesse est. In primis igitur quinq; capitibus hæc cornua inesse non poterant, quia quinque illa capita jam abierant, & unà cum capitum vicibus cornuum quoq; vices abiissent: neque in sexto; quoniam eo Joannis ævo regnante, cornuum tamen tempus nondum advenerat. Relinquuntur igitur capiti novissimo.

At inquit Lawenus, *Verba Apocalypseôs clarè & disertè docent, decem illa cornua ipsis temporibus Joannis extitisse.* Imò contrarium docent clarissimè & disertissimè. *Decem cornua*, inquit Angelus, *sunt decem reges qui regnum nondum acceperunt. SUNT* autem in hujusmodi sententiis copulativè sumitur, non ὑπαρκτικῶς, quod Logici nôrunt. Alioquin concludendum quoque esset, Omnes septem reges Joannis temporibus extitisse, quia de septem quoque capitibus dicitur, *Septem capita sunt septem reges*, βασιλεῖς ἑπτά εἰσι.

Sed & ab eventu sententiæ adversanti præsidium quærit. *Certum enim est*, inquit, *ex historiis imperium Romanum dum hac scriberet Joannes ex decem regnis sive regalibus provinciis tanquam partibus constitisse.* Imò, certum est, si Straboni fides, (qui solus hîc laudari solet, quémque Lawenus hujus rei autorem laudat) Imperium Romanum eo seculo, non in decem tantùm, sed in viginti provincias divisum fuisse, quarum nempe decem Imperator sumebat sibi, alteras decem populo Rom. tribuebat. Inspiciat Strabonem

nem ipsum, & de numero provinciarum, & quæ fuerint; ut videat quàm non nimis tutum sit alienis oculis fidere.

Ad Censuram Synchronismi quarti.

SYnchronismum *CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLE VIRGINUM CUM MERETRICE BABYLONICA ET BESTIA*, *eodem vitio laborare ait. Quia cœtus centum quadraginta quatuor mille virginum in solidum non cintemporat Meretrici & Bestiæ, sed temporibus earum postremis.* Respondeo; Cœtus virgineus in solidum contemporat Meretrici, non Mulieri. Neque, quod vult Lawenus, exuperat Bestiæ regnum, sed ut cum eo cœpit, ità quoq; (quod statum illum obsignationis attinet) cum eodem desinit, migrátque postmodum in statum novum Turbæ palmiferæ. Quæ nimirum est massa illa numerosa Agni post devictam Bestiam sequacium; cujus respectu cœtus ille centum quadraginta quatuor mille sub Bestiæ adhuc blasphemantis tyrannide Agno adhærentium, *primitiæ* tantùm dicebantur. Sed video Dominum Lawenum duas istas visiones hîc & ubique confundere; quas tamen diversas esse constat & diversorum temporum. Cœtus enim virginum numeratus est: Turba palmifera innumerabilis: ille sub Bestia rerum potiunte gemuit, hæc post Bestiam occisam ovat: *Hi sunt*, inquit, *qui venerunt de tribulatione magnâ*, id est, de tyrannide Bestiæ Sanctos tribulantis. Unde illis sigillo prospectum fuit nè læderentur; istis obsignatione istiusmodi nihil opus erat. Nec si fortè personæ ipsæ in utroque statu

statu aliquatenus eædem sint, proinde diversi rerum status confundendi sunt. Ecclesia semper una est, sed fortunâ & conditione pro temporum statu dissimili. Quæ diversæ Ecclesiæ, ut ità dicam, facies diversis visionibus exhibentur.

Ad Censuram Synchronismi quinti.

Q*Uintus Synchronismus*, inquit, *DE GENERALI ANTEDICTORUM SYNCHRONISMO potuisset omitti.* Fateor. Sed potest etiam retineri, & suum usum mihi habere visum, ut tot Synchronizantium vaticiniorum systema uno intuitu exhibeatur. Præterea non est, quod ait, nuda præcedentium Synchronismorum repetitio. Nihil enim adhuc de Meretricis cum Muliere eremitica & Testibus, aut de Cœtu virgineo cum iisdem Synchronismo dictum fuit. Nec pari ratione duo sequentes Synchronismi repeti potuissent, cùm illi nequaquam contemporent, ut proinde quod scitè à se dictum putat de octavo Synchronismo, ut non urbanè admodum, ità nec verè dixerit.

Ad Censuram Synchronismi sexti.

P*Eccat*, inquit, ἀκυρολογίᾳ *verborum, quia Apocalypsis expressè non meminerit atrii mensurabilis.* Quid si expressè non meminerit? num ideo est ἀκυρολογία; sed *maluit retineri nomen expressum TEMPLI MENSURABILIS.* At hoc non suffecisset; namque etiam metiri jubetur θυσιαστήριον καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ. Hæc ego omnia uno illo *Atrii interioris* nomine com-

plecti volui, cùm illud istâ verborum periphrasi designari non dubitârim. *At atrium interius*, inquit, *est Atrium Israelis*. Fallitur ut jam antè ostendi.

Porrò, ait, *peccare hunc Synchronismum confusione temporum. Licèt enim ex eo quòd ambo sint antecedanea contemporaneorum, illud sequatur, Prælium Draconis incidere in tempus Templi mensurabilis; Templum tamen non priùs & citiùs mensuratum fuisse, quàm prælium illud commissum fuerit, eo argumento probari nequit.* Fateor. Neque id in clave mea celavi. Inspice sodes p. 10. *l.* 20. At ex eo quòd sint proxima antecedentia contemporaneorum, sequitur ea communem exitûs sui terminum sortiri. Quòd verò, ut in fine, sic etiam initio concurrant, alio argumento, eôq; mihi sat verisimili astruere conatus sum. Cujus quidem fundamentum de initio prophetiæ repetitæ, hic insaniæ deputat Censor, & paulò pòst se refutaturum pollicetur. Ibi igitur responsum habebit.

Quinimo, inquit, *Prælium illud Draconis commissum & absolutum fuit in ictu oculi; ideòque cum Templi dimensuratione, utpote continui temporis prophetiâ, contemporare nequit.* Respondeo; Etsi in toto hoc negotio ab interpretatione vaticiniorum abstinuerim; tamen necesse fuit, sensum aliquem Grammaticum præsupponi, & pro fundamento rebus demonstrandis substerni. Ex hac autem objectione demum perspicio me non satis cautè locutum esse. Draconis insidias & dimicationem pro iisdem habui, Dominus Lawenus distinguit. Utut sit, ad rem ipsam parùm interest. Intelligo enim Draconis molitionem (ità posthac vocabo) durante puerperio, quicquid tandem fuerit; sive prælium, sive aliud. Hanc, puto, non est dicturus in

ictu oculi peractam. Non potest enim, nisi etiam puerperium momentaneum dicat. Denique, si saltem puerperii cum Atrio mensurabili Synchronismum mihi concesserit, de Dracone non pugnabo. Neque certè cum hîc alio argumento impugnat (dum dimensurationis initium puerperii multò recentius asserit) quàm ex privatæ interpretationis hypothesi, cui ut respondeam non est opus.

De Septimo Synchronismo mihi assentitur. Pergo igitur ad stricturas ejus in Partem secundam.



Responsio ad Stricturas in Partem secundam.

HIc à præloquio meo incipit, quod miror admodum cur tantopere exagitet, innocuum certè, & nihil mali meritum. Neque enim mihi animus fuit in eo demonstrare quicquam, imò nec fundamentum substernere Synchronismis mox demonstrandis: sed tantummodo Lectorem præmonere, quid singulis visionibus juxta mox futuras Synchronismorum ἀποδείξεις ritè dispositis, tum ipse observaverim, tum ille observare poterit: nimirum intervallum seu periodum Apocalypticam bis tantùm integrè percurri; Primùm prophetiâ Sigillorum, Secundò eâ quæ à libro aperto incipit: atque eâ ratione Apocalypsin, indè à capite quarto ad finem, in duas prophetias principales dispertiri. Dixi *prophetias*, non *visiones*. Sciebam visiones esse plures, sed ex iis non nisi duo prophetiarum

syntagmata confieri, quibus periodus Apocalyptica integrè percurratur. Id verò est quod affirmavi, atque etiamnum affirmo. Quid peccavi? nunquid affirmabit Lawenus, pluries, id est, septies, periodum Apocalypticam percurri? haud facilè credo. An negabit partitionem istiusmodi ex Synchronismis meis secuturam? Non potest. At ego hoc solùm in præloquio meo volui. Ergò cum larvis hîc pugnat; & potuit omni labori pepercisse. Nam si Synchronismos meos refutâsset, partitio hæc bimembris visionum Apocalypticarum per se concidisset; utpote quæ ex Synchronismis istis extructa est, non verò iis pro fundamento substrata. Sed voluit fortè hanc præloquii mei flagellationem vice præloquii esse ad stricturas sequentes.

Videamus igitur, quomodo partitionem meam destruat. *Primò*, (inquit) *confundit finem unius prophetiæ cum principio alterius*. Intelligit, ni fallor, finem prophetiæ consummantis. Alioquin enim vitiosum non est, fini unius prophetiæ continuari principium alterius. Ità visioni Draconis rufi-Septicipitis finienti continuatur visio Bestiæ marinæ redintegratæ, Visionem Phialarum vult Lawenus concatenari fini Tubæ sextæ. Sed visioni consummanti (ità voco quæ finem periodi Apocalypticæ attingit) fateor, non posse etiam visionem continuari. *Sed*, inquit, *partitione meâ continuari initium prophetiæ Tubarum cum fine prophetiæ Sigillorum, prophetiæ consummantis nempe cum fine sigilli septimi*. Ego verò illud nego, & aio prophetiam Tubarum esse ipsummet sigillum septimum, ideóque à me nec confundi nec continuari cum fine sigilli septimi; sed, ut æquum erat, conjungi cum fine

sexti

sexti. At, inquit, *Finis prophetiæ Sigillorum est in Turba palmifera, idque fatente meipso.* Respondeo: Aliud est, esse finem prophetiæ sigillorum *contemporando*, aliud (ut ità loquar) *exhibendo*. Fateor prophetiâ obsignatorum & succedaneâ prophetiâ Palmiferorum (quas Lawenus malè confundit) totum Sigilli septimi intervallum percurri contemporando: sed in illis *exhiberi* visionem sigilli septimi, id verò pernego. Visio sigilli septimi ea demum est, quam exhibet apertio sigilli septimi; Visio, inquam, Tubarum, ut suprà ostendi. Visio autem gemina illa Obsignatorum & Palmiferorum est visio interposita in usum characteris; quò scilicet sciremus secuturas post βιβλαριδίου comestionem visiones reliquas cum Sigillorum prophetia aptè connectere; ut monui Synchron. 1. part. 2.

Quod porrò ait *de silentio illo semihoræ ad initium prophetiæ Tubarum, seu apertionem sigilli septimi, esse illud novæ prophetiæ indicium*; gratis dicit, nec ad rem quicquam facit. Neque enim ego negârim, visionem Tubarum esse novam prophetiam, & à præcedentibus sigillis diversam; sed esse prophetiam de novo repetitam, illud verò est quod inficias eo; ideóque novitate suâ non obstante, aio præcedentibus sigillis ratione rei gerendæ continuandam esse. Id quod Alstedius minimè dubitavit, qui tamen de numero visionum Apocalypticarum juxtà cum Laweno sentit. Sed unum est quod non capio. *Silentio semihoræ*, ait, *nihil aliud significari, quàm Joannem à visionibus præcedentis prophetiæ ad medium horæ quievisse.* Quid hoc est? an igitur Joannes videndo aut audiendo sonitum fecit? Hoc aio me non capere.

Sed quoniam tantum causæ suæ præsidium in hoc

silentio Lawenus ponit, videamus annon ea sit silentii hujus mens, quæ commentum illud de Tubarum prophetia à sigillis abjungendâ, nedum juvet, sed penitus destruet, cui ille astruendo servire putet. Notum est in sacris ubivis ferè Gentium silentium de religione fuisse. Favere linguis dicebant. Id à populo Dei observatum, tum cùm incensum fieret. Dum enim sacrificia offerrentur, Templum canticis tubis aliísque instrumentis musicis personabat; 2. Chron. 29. 25, &c. At tempore Incensi omnia silebant, & populus tacitè secum precabatur, Luc. 1, 10. Huc igitur allusum esse videtur, dum Angelo ad altare aureum sacra facturo, factum esse dicitur in cœlo silentium ad semihoram, id est toto tempore incensi. Ità quoque apud veteres mos erat, teste Servio, ut *lumine incenso silentium præberetur*.

Quod denique addit Lawenus de igne è cœlo in terram misso, eundem esse de quo Salvator dixerat, Luc. 12, 49. interpretamentum est, ideóque ab hac dissertatione alienum. Atque ità ab hoc ariete partitio mea firma manet & inconcussa. Videamus an non eâdem quoque facilitate eorum, qui supersunt, impetum sustinere possit.

Secundò, inquit, *Partitio hac discerpit membra unius ejusdémque prophetiæ arctißimè inter se cohærentia, nempe finem Tubæ sextæ divellit ab ipsius principio.* Respondeo, peti principium. Tantùm enim abest, ut aut libri comestio, aut Templi mensuratio sit pars Tubæ sextæ, ut ad eam nullo prorsus modo pertineant. Quid enim, an quicquid narrandi ordine sequitur, statim pars est ejus quod præcessit? Cur non igitur septem tonitruum voces etiam pars essent Tubæ sextæ;

sextæ; quod tamen negat? Quod propiùs illius Tubæ clangorem excepit, eò non pertinebit; & pertinebit, imò pars erit quod remotius est? Quis hîc discerpit membra unius ejusdémque prophetiæ? Egóne, an Lawenus?

Tertiò, inquit, *Commiscet hæc partitio duas ad minimum integras prophetias toto cælo à se invicem distinctas. Nempe prophetiam libri aperti, & de Muliere parturiente; quoniam hanc illius partem facit.* Hæc enim, ni fallor, est quam intelligit commistio prophetiarum; cùm me prophetiam de Muliere parturiente eandem facere dicit cum prophetia libri aperti. Ego verò, ut jam antè monui, prophetiam libri aperti voco, non unicam aliquam visionem, sed totum illud visionum Syntagma quas Joannes vidit, postquam ei, libro devorato, dictum fuerit, *Oportet te iterum prophetare, &c.* Annon autem hujus Syntagmatis seu prophetiæ iteratæ pars est visio Mulieris parturientis? Ipsum Lawenum appello in notationibus suis proœmialibus in visionem quartam Apocalypt. *Certum est*, inquit, *hanc visionem (de muliere parturiente, Bestia marina, & CXLIV Mille obsignatorum) partem quoq; esse illius prophetiæ de qua Joanni dictum fuit, Oportet te iterum prophetare gentibus, populis, ac linguis, & Regibus multis.* Hæc sunt ipsissima Laweni verba. Si modo is sit, (quod audio) qui se Theocritum Justum appellat. Quomodo tunc certum erat, quod nunc pro errore manifestario traducit? Adeóne cùm duo affirment idem non est idem? Aut valde fallor, aut hic vir doctus præ nimio stringendi calore sui oblitus est. *At*, inquit, *certum est, prophetiam libri aperti terminari cum fine Tubæ septimæ; prophetiam verò de muliere parturiente,*

ente, quæ hanc sequitur, prophetiam planè novam quâ nihil antiquius habet Apocalypsis. Quomodo igitur hæc pars erit libri aperti? Hoc scil. argumento suam meámque sententiam labefactatum it. Sed Respondeo pro meipso & pro Theocrito Justo, omnino facillimé. Prophetia enim libri aperti non est una aliqua prophetia continua, sed multarum, ut dixi, Visionum, partim continuantium, partim contemporantium systema, quarum una sola, id est, prima, totum intervallum Apocalypticum pervadit, reliquæ huic tanquam partes contemporantes annectuntur. Ità visio de Muliere parturiente pars est prophetiæ libri aperti, non continua, sed primæ visioni (quæ in communem illam Tubæ novissimæ catastrophen desinit) contemporanea, & parallela.

Quæ porrò subjungit de interpretatione visionis de puerperio, *Mulierem parturientem esse Synagogam Judaicam, quæ patrem habuit Jacobum, qui assimilatur soli; matrem Rachaelem, quæ comparatur lunæ, &c.* ut nimirum demonstret visionem istam provehi ad caput & originem periodi Apocalypticæ, ac proinde in ea novam prophetiam inchoari: hæc (inquam) & similia sicco pede pertranseo; cùm, ut sæpe jam monui, nullus sit in hoc examine id genus interpretamentis locus concedendus.

Absolutâ interpretatione Puerperii redit ad rem ipsam; & solito commotior, quasi stimulum alicunde sensisset, acerrimè invehitur in id, quod bimembri meæ partitioni subjunxerim, nempe posteriorem Apocalypseωs partem, quæ est τῶ βιβλαριδίω, ab eodem temporis seu periodi Apocalypticæ principio exordiri, unde prior illa quæ est sigillorum. Hic, qui visionem

nem Tubarum, ad ſeptimi ſigilli apertionem exhibitam, ad primi ſigilli initium retraxit, & ſigillorum tramitem relegere fecit: mihi tamen pro immani crimine impingit, quòd poſt finitam ſextæ Tubæ deſcriptionem (nam uniuscujuſque tubæ, ut dixi, viſum tantùm unicum eſt) póſtque ſeptimæ Tubæ præconium diſertè exhibitum de conſummatione myſterii Dei tum futurâ, poſtquam etiam ſeptem tonitrua voces ſuas edidiſſent, quas ipſe ad ſeptimam Tubam pertinere affirmat; voluerim tamen ex ſequentibus novæ prophetiæ initium facere; cùm illud non modò ex Synchroniſmorum meorum ſyntaxi neceſſariò ſecuturum advertiſſem, verùm eódem etiam præter opinionem facere viderem verba illa longè diſertiſſima, *Oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & regibus multis.* Hic ſibi ſilentium ſemihoræ ſine ratione aut exemplo interpretanti credi poſtulat, quòd ſit novæ & repetitæ prophetiæ indicium; mihi ſpiritui ſancto id diſertis & perſpicuis verbis affirmanti credere non licet. Sed plus ego, Lawene, hujuſmodi *verborum aucupiis* (ſic enim vocas) fido, quàm cujuſvis hominum interpretamentis, niſi ea quoque verba perſpicuè conſentientia habuerint; ut omnino fruſtra ſis, qui mihi hîc pro verbis clariſſimis Δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι interpretationem maximè dubiam & incertam (alius violentam dixerit) obtruſeris.

Ad objectum de currente adhuc, nec dum abſolutâ ſextæ Tubæ deſcriptione, Reſpondeo, Finem Tubæ ſextæ eſſe ad finem capitis noni, nec ultra protendi viſionem ejus: nam unicum eſſe cuique tubæ viſum, ſicut & ſigillis & phialis, non duo vel plura. Deinde primam partem capitis decimi ad ſeptimam Tubam

pertinere, quod ipse quod ad septem tonitrua, non diffitetur, & Angeli verba manifesta sunt; Quod reliquum est hujus capitis cum capite sequente ad novam prophetiam pertinere, monente id ipsum Spiritu Sancto; Ità prophetiam Sigillorum & Tubarum propriè & reâpse claudi magno illo angeli tonitruum de tempore ad clangorem Tubæ septimæ finiendo, & mysterio Dei consummando, præconio. Sed quoniam mysterium illud communius foret tum hujus tum alterius prophetiæ catastrophe; tum maximè ut sciretur, quâ demum ratione sequens prophetia cum hac Tubarum connectenda esset: ideo clangoris ipsiusmet de præsenti exhibitionem & revolutionem pleniorem ab angelo eousque suspensam, donec & altera prophetia primâ suâ visione ad idem temporis Apocalyptici momentum provectâ tanquam limes synchronisticus & communis utriusque prophetiæ exitus intersereretur. Dicam (si possim) planiùs, quoniam video me à Domino Laweno non intelligi. Utraque prophetia tam sigillorum quàm βιβλαριδίου uno eodémque rerum exitu clauditur, quem exhibet Tuba novissima. Cui indicando, Spiritus Sanctus tubæ septimæ mysterio suo loco in tubarum serie, quantum satìs erat, designato clangorem ipsum distulit; donec ad novam βιβλαριδίου prophetiam transitione factâ, primam ipsius visionem (stadio Apocalyptico similiter emenso) ad eundem rerum exitum provexisset. Túncque mysterium illud Tubæ septimæ, utriusque prophetiæ clausula communis, in priori prophetia de genere tantùm promulgatum, hîc clangore edito, pleniùs evolvitur; ídque commodissimè, cùm alioquin, absque utriusque prophetiæ præcognitione quod

ab

ab utraque pendebat, intelligi non potuisset. Et profectò ni hæc Spiritûs Sancti mens fuisset, nec juramentum de septimæ Tubæ clangore & mysterio eo loci inseruisset, nec verba statim Joanni de prophetia repetenda fecisset. quorsum enim hæc? nisi ut duplici illo indicio, certos nos faceret de fine prophetiæ Tubarum illîc indubiè statuendo; non obstante quod postmodum de clangore Tubæ septimæ novæ isti prophetiæ interserendum esset. Ego tamen (ut quod initio dixi iterum repetam) nihilominus hujusmodi discursibus bimembrem meam partitionem non superstruxi, neque in præloquio meo tanquam fundamentum proposui; sed solummodo monui eam consectarium fore Synchronismorum mox demonstrandorum, eique apprimè convenire Angeli verba, & visionem cap. x. exhibitam. Nisi igitur quos demonstravi Synchronismos istiusmodi partitionem conficiant, causam non dico quin prorsus eliminetur.

Postremùm addidi & illud Lectoris animadversione non indignum fore, ad utriusque istarum, perinde atque primæ omnium visionis de septem ecclesiis, quasi trium integrarum prophetiarum initia singula voce tanquam tubæ de cœlo loquentis proclamari, &c. Hîc mihi opponit Lawenus *multò certiora novæ prophetiæ indicia, ut quòd singulæ aut inchoentur novâ visione, aut terminentur mentione secundi adventûs.* Sed annon quæ ego attuli sunt novarum visionum initia? aut dicat quo tandem signo internoscatur novæ visionis exordium; præsertim si illud Δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι pro hujusmodi signo non sit habendum? Sed vult, ni fallor, eam visionem pro nova habendam esse quam proximè præcessit mentio secundi adven-

 tûs

tûs. Neque hujus notæ tribunal partitio mea recusabit. Quid enim? annon Angeli septem tonitruum præconium de consummatione mysterii Dei (quod libri comestionem præcessit) ad secundum adventum pertingit? Sed quorsum hæc omnia? non enim hîc de novæ visionis aut prophetiæ cujuslibet initio quæritur: sed de initio prophetiæ repetitæ. nam ubicunque mentio secundi adventûs præcessit, ibi initium est prophetiæ repetitæ, id est, quæ eundem tramitem propheticum remeat? Non credo. At de ejusmodi initio inter nos agitur. Interim ut non diffiteor secundum adventum, si dextrè accipiatur, esse certissimum indicium prophetiæ consummantis; eóque visionem quæ sequitur ejusmodi esse, quæ priori continuari non possit: ità nego hunc adventum pro unico visionis novæ structuræ indicio habendum esse. Nego item cujusvis interpretamentum pro secundi adventûs argumento admittendum. Mihi quidem persuasissimum est sigillum sextum non esse de secundo adventu; & novit Dominus Lawenus me non paucos suffragatores habere, & in eorum numero esse Andream Cæsariensem: nihil tamen ei superstruo, quia interpretamentum est; ideóque negari possit nisi aliunde firmetur. Et messem illam c. 14. v. 15. esse secundum Christi adventum quo argumento negantem convinceret? Nam alia quoque est Salvatoris messis præter consummationem seculi: *Messis*, inquit, *multa, operarii verò pauci*. Imò si messis c. 14. sit consummatio seculi; quid tandem erit vindemia, quæ messem sequitur? Eadem quoque de cœna dici possunt c. 3. 20. nec ignorat Dominus Lawenus hæc ab aliis aliter interpretata esse. Unicum illud de universali resurrectione

one & judicio c. 20. clarum & disertum, est ideoque indubium. Videt igitur Dominus Lawenus quàm istiusmodi argumenta imbellia sint. Interim ego non nego septem esse in Apocalypsi visiones insigniores, fortè etiam plures: neque hoc bimembrem meam divisionem quatit, ut quæ aliò spectavit, neque visiones distinxit, sed syntagmata visionum.

Ad Censuram Synchronismi I.

Sigilli septimi, quod ad priores sex tubas cum bestia septicipite bicorni, cæterisq; contemporantibus.

IN hujus demonstratione Lawenus totus interpretationum præjudiciis occœcatus nihil omnino veri cernere potuit. Adjuvabo igitur, si possum, admoto lumine. Summa demonstrationis hæc fuit, quà de initio, quà de fine.

De initio sic. Cùm coetus obsignatorum tanquam Bestiæ regnantis ἀντίστοιχον Bestiæ contemporet; idémq; cœtus obsignatorum contemporet initio sigilli septimi, seu Tubarum: sequitur Bestiam quoque contemporare initio sigilli septimi, seu Tubarum.

De fine autem sic. Cùm Testium in sacco lugentium dies mille ducenti sexaginta finiantur ad exitum Tubæ septimæ, seu ineunte septimâ: ibidem quoque Bestiæ menses quadraginta duo finiri necesse est; & per consequens illam Bestiæ tyrannidem intra sex primarum Tubarum ambitum contineri.

Fatetur Lawenus cœtum obsignatorum contemporare sigillo septimo. Vult enim obsignationem illam esse totum sigilli istius mysterium; quod quidem nimium est, sed indè sumo quantum mihi satis est,

nempe cœtum illum sigillum sextum proximè sequi, atque ità inire cum septimo. Hoc autem posito, nulla ei amplius elabendi copia superest, nisi aut negando, septem Tubas rem esse sigilli septimi, aut cœtum virgineum cum Bestia (semper Bestiam novissimi capitis intelligo) in solidum contemporare. Illud jam ostensum est in textu disertissimè haberi, neque in re tam manifesta ut cedam ullis unquam fidiculis extorquebit. Alterum de cœtûs virginei, & Bestiæ in solidum contemporatione, quoniam eam in clave mea non satìs ab omni parte munitam dedi, jam porrò firmiùs demonstrabo, quà de initio, quà de fine. Nam de contemporatione simpliciter dubium non est.

Initialem igitur contemporationem sic ostendo, cœtus iste virgineus, (prout nuda ejus descriptio cap. 14. attento Lectori fidem faciat) copiæ sunt Sanctorum militum in Agni fide (tum cùm cæteri orbis incolæ desertores & transfugæ bestiæ characterem accepissent) firmiter permanentium: unde ut olim prisco ritu milites stigmate aliquo notari, & Imperatoris sui nomine inscribi; ità isti Agni & patris nominibus in fronte scribuntur. imò cap. 13. v. 8. in Agni quoque codice, ceu matriculâ extare dicuntur. Hi nimirum sunt Sancti isti, quibúscum belligerat Bestia; quíque soli ex omnibus orbis incolis ipsam adorare abnuerint. Necesse est igitur eosdem Bestianis coævos esse; quandoquidem incesta Besticolarum coitio, eodem tempore illibatum Agnisequorum cœtum necessario discrimine progenuerit.

Secundò, si cœtus virgineus cum Bestia initio non contemporet, aut Bestia antiquior est aut recentior. Utramcunque dixeris, illud absurdi sequetur, ut aut

cœtus, aut Bestia nimium dissimilibus rerum statubus contemporet. Si enim cœtum dixeris Bestiâ antiquiorem; illud sequetur, ut cœtus, partim Bestiæ decem-cornupetæ, partim verò puerperio & Draconi ruso contemporet. Nam quod ultra bestiæ exortum ascendit; illud necessariò in draconis & puerperii tempora impingit. Ut quæ nempe Bestiæ exortus continuò secutus est. At quî tam uniformis prophetia, tam dissimilibus rerum statubus aptabitur? quæ ἀντιστοιχία ratio tam dissimili parallelismo constabit?

Sin cœtum Bestiâ recentiorem dixeris, sequetur, ut Bestia, partim sex primis sigillis, (eorum nempe ultimis) partim verò septem Tubarum, dissimilis proculdubio rei, sigillo contemporet; ubi eadem planè absurditatis ratio rem omnem circumspicienti apparebit.

Initialem contemporationem firmavi: Restat de finali; quæ non modò, ut prior, ex ἀντιστοιχίας ratione; sed porrò ex eo ostenditur quòd utriusque tam bestiæ tyrannidis, quàm cœtûs virginei limes sit Turba Palmifera. Bestiæ, quia de Palmiferis dicitur, *hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna.* quâ verò tribulatione, nisi Bestiæ Sanctos tribulantis? ergò Bestiæ tyrannidem à tergo relinquunt. Cœtûs virginei, quia eum Turba Palmifera continuò sequitur. Sicut ipse cœtus secutus est Tubam sextam; id quod ex eadem utrobique transitione Μετὰ ταῦτα εἶδον manifestum est, vel ipso Laweno judice.

Potest & hæc finalis contemporatio sic demonstrari: quia utriusque limes est exitus Tubæ sextæ, Bestiæ, ut ex cap. undecimo ostensum est Synchron. 1. § 2. part. 1. Cœtus, quia eum excipit Turba Palmifera; quæ contemporat tubæ septimæ.

Atque

Atque hinc, credo, apparet Synchronismum sigilli septimi, quod ad priores sex tubas, cum bestia septicipite novissimi capitis, cæterísque contemporantibus non esse (quod acerbiusculè dixit) *cardinem vanitatum*, sed istiusmodi censuram fuisse omnino vanam.

Ad objecta non opus est ut respondeam, cùm nihil novi præter interpretamenta afferat, ut *de Antichristo sub tuba quinta primùm in lucem prodeunte, utpote Angelo illo Abyssi, Apollyone & Abaddonte, proindéque minimè, quod ego vellem, cum ipso Tubarum clangore nato.* Item *de cœtu virgineo obsignatorum demum post illustrem Domini adventum (sigillum sextum esse vult) exhibendo.* Hæc igitur omnia, (ut ut argutum illud sit de Abbadonte quasi אב ארון Pater Dominus) uno spiritu difflabo, omnia scilicet negando. Quorsùm enim aliter refutarem, quæ & aliena sunt, & solido fundamento carent?

Illud tamen unum præterire non debeo, *quod obsignationem eam centum quadraginta quatuor mille* cap. 7. *factam esse dicat ad novas nuptias Agni in illustri Domini adventu celebrandas; idque manifestum esse ex collatione cum* 4. Esd. 2. 38. me verò perstringat, eò quòd existimârim *illam factam esse, nè grassantibus in orbe tubarum calamitatibus electi Dei servi extinguerentur.* Sed inspice, (sôdes) textum, Lawene. Annon Angelus illîc ab ortu solis clamavit ad Angelos, quibus datum est lædere terram, & mare: dicendo: *Nè lædite terram, neque mare, neque arbores, quoadusque obsignaverimus servos Dei nostri in frontibus suis.* Sintne calamitates illæ tubarum necne, non laboro. At de calamitatibus, quæcunque tandem sint, orbi superventuris, electis Dei servis (quibus omnia in bonum

num cedere debeant) omnino hîc caveri dico. De nuptiis verò planè nihil audio. Imò qui tubarum Synchronismum, & quod porrò, in eandem omnino rem ad tubam quintam habetur c. 9. v. 4. consideraverit; calamitates, quæ à tubis sunt, in hunc censum venire, haud gravatè mihi concessurus est.

Ad Censuram Synchronismi II.

Contemporantium visionum Atrii interioris & prælii Draconis & Michaelis de puerperio cum sex primis Sigillis.

N*Eutrum horum*, inquit, *neque Templi sive Atrii interioris mensuratio, neque prælium Draconis cum Michaele, cum sex primis sigillis contemporet. Non dimensuratio Templi*; (quomodo loqui malit) *quia jubetur Joannes Templum & Altare metiri sub finem Tubæ sextæ. Non prælium Draconis, quia illud in ictu oculi commissum & absolutum fuit.*

Ad primum Respondeo, Licèt post Tubæ sextæ historiam Joannes jubeatur metiri templum; hanc tamen dimensurationem ad tubam sextam non magis pertinere, quàm ad septimam, quòd illius quoque præconium, & septem tonitruum, quæ eodem pertinent, voces, eandem dimensurationem æquè præcesserint. Ratio est, quia (ut in superioribus dixi) abruptâ post vers. 7. sigillorum & tubarum, id est, totius libri sigillati tractatione; deinceps ad novam prophetiam libri nimirum aperti transitus fiat.

Ad secundum, dico prælii Draconis appellatione intellexisse me totam Draconis molitionem durante puerperio, quam non credo eum dicturum in ictu oculi

peractam fuisse, putabam enim illâ Draconis & Michaelis dimicatione describi insidiarum istarum statum, quomodóque factum sit ut machinatio illa draconis adversùs mulierem parturientem incassum cęderet, quia nempe Michaelem adversarium toto tempore expertus est. Sanè eódem cum visione puerperii pertinere, ex eo censebam, quòd utriusque rem gestam continuò secuta est mulieris fuga in eremum. Ità tum sensi. Jam objectione istâ cautior factus locutionem corrigo, & Draconis non prælium, sed molimen vocabo; sed tamen mentem cur mutem non video. Si posthac videro, gratias de hoc monitu Laweno debebo. utut se res habet, sítne prælium illud Draconis ejusdem adversùs Mulierem parturientem molitio necne, à qua Michael eam liberavit; certè cum ea molitione contemporabit. Valde enim infirmum est, quòd prælii istius descriptio narrandi ordinē sequatur Mulieris partum, fugam verò ejusdem idem tempore antecedat, ex eo cum Laweno concludere velle illud momento tantùm durâsse, quasi utriq; interjectum. Cur enim non potiùs cum puerperio contemporaret, quocum exitum communem sortitur? Pugnatur in cœlo, dejicitur Draco, cantatur ἐπινίκιον, Draco dejectus irascitur, persequitur Mulierem, illa in eremum fugit. Omnia hæc in momento fugæ facta sunt? Annon dum adhuc parturiret? nam statim à partu fugit in eremum.

Ad

Ad Censuram Synchronismi III.

Phialarum cum Tuba sexta.

SYnchronismum phialarum cum Tuba sexta, non quidem in solidum, sed ex parte tantùm astruxi; ídque quòd viderim Bestiæ dominatum ante septimæ clangorem haud parùm labefactari cœpisse. At quo loco Tubarum, initium phialarum præcisè statuendum sit, id nullo charactere eruere potui. De fine, hoc certum mihi visum, phialam saltem novissimam ad novissimam tubam pertinere.

Quid ad hæc Dominus Lawenus? *Finitio,* inquit, *mensium quadraginta duorum ad sextæ tubæ exitum non arguit tum labefactatam fuisse dominationem Bestiæ.* Quid ità? *quia* (inquit) *potestas quadraginta duorum mensium non est simplex potestas dominandi* (rectiùs fortè dixisset existendi) *sed dominandi pro libitu, & novissimæ persecutionis.* esto. Annon igitur si Bestia ab hac potestate ceciderit, imperium ejus meritò labefactari censebitur? Quod verò ait *menses quadraginta duos non esse totius dominationis Bestiæ sub statu novissimo, sed solummodo novissimæ persecutionis*; id à me suprà refutatum est. Neque hîc multùm interest sive ità sit, sive aliter. Namque etiam novissimæ, ut dixi, dominationis seu persecutionis finitio non potest non esse magna potestatis Bestianæ labefactatio. Interim omnimodam Bestiæ abolitionem egomet ad ineuntem tubæ septimæ clangorem tum hîc, tum in confirmatione Synchronismi primi hujus partis expressè retuli.

Ad Censuram quatuor posteriorum Synchronismorum.

1.

Mille annorum ligati Draconis, ceu Satanæ, cum tuba septima, seu intervallo ab excidio Bestiæ.

2.

Mille annorum regni Christi Augusti, & septimæ Tubæ seu intervalli ab excidio Bestiæ.

3.

Novæ Hierusalem Agni sponsæ, cum septima Tuba seu intervallo ab excidio Bestiæ.

4.

Turbæ palmiferæ innumerabilium gaudentium, cum Tuba septima, seu intervallo ab excidio Bestiæ.

DE quatuor postremis istis Synchronismis ait se prorsus mecum sentire; de quo certè est quod mihi gratuler, cùm sint omnium παραδοξότατοι. In reliquorum plerisque, quòd à communi interpretum tramite haud ità longè recedant, complures suffragatores habeo, in istis paucissimos; ut omnino jam æquiori animo feram doctissimum virum à me in reliquis dissentientem, quòd istis saltem album calculum adjecerit. Deum verò Optimum Maximum veneror, ut utrique nostrûm ad veritatem ejus cernendam oculos, magis magísque detersis præjudiciis, aperiat.

Ad Censuram de Epocha Apocalypseôs.

IN hac censura pleræque, ut mihi videntur, sunt planè ἀπροσδιόνυσα, ut sanè nesciam an mentem meam de Epocha intellexerit. Utut sit, errorum meorum, quos putat, catalogum texit; quos ego, ni fallor, suis locis ostendi errores non esse, sed veritatem verissimam, nimirum (1) septem tubas esse τὸ πρᾶγμα sigilli septimi. (2) Menses quadraginta duos esse totam durationem Bestiæ sub capite novissimo, seu statu instaurationis;ideóq; literaliter accipi non posse.(3) Decem Bestiæ cornua esse septimi seu novissimi capitis propria, juxta illud, cap. 17. 12. *Decem cornua sunt decem Reges, qui* sub sexto capite *regnum nondum acceperant.* (4) Cœtum virgineum succedere sigillo sexto, eundémque contemporare Bestiæ statu novissimo. Hæc si obtinuero, reliqua haud ægrè sequentur. Illud tamen mirari subit, cur Synchronismum Turbæ palmiferæ cum tuba septima hîc erroribus meis annumeret, quem in proximè præcedente censurâ mihi assensus erat. Dicámne esse ἁμάρτημα μνημονικόν; sed jam supersedeo, & Domino Laweno de stricturis suis gratias ago. Quibus, etsi non eò adductus sim, ut sententiam mutem: Fateor tamen me hac velitatione, dum mentis aciem, ut solet, ad singula paulò acriùs intendo, non parùm profecisse.

FINIS.

JOSEPHI MEDI

Cantabrigiensis

Responsio Epistolaris

ad Animadversiones

LUDOVICI DE DIEU

In Clav. & Comment. Apocalyp.

Reverende & Clarissime Vir;

QUas mecum communicavit Nobilissimus & amplissimus Eques, mihíque amicissimus Ds. G. B. animadversiones tuas in *Clavem* meam, *Commentationésque Apocalypticas*; adeò mihi gratæ, acceptæque fuerunt, ut diutiùs ferendum non putaverim, nullum te earum exemplar mancupio possidere. Mitto igitur hoc quod vides honoris & amicitiæ pignus; quod tametsi tardiusculum sit, (tantam enim fore apud vos exemplarium penuriam nunquam suspicatus sum) Spero tamen te nihilominus pro humanitate tua non dedignaturum.

Ego sanè ex eruditissimis animadversionibus tuis profecisse me non diffitebor; imprimis ex eo quod mones de verbis istis cap. 4. 6. ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου, καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου, non per ἓν διὰ δυοῖν, ut ego volebam, verùm rectiùs κατὰ πόδα intelligendis. Lectis enim quæ ex Ezechiele ibi doctè annotâsti, inopinato lumine mentẽ meam perfundi sensi, statímq; in eam sententiam concessisse.

Sellam

Sellam cui Deus insidebat, absque dubio quatuor animalibus gestatum fuisse, quorum singula, posterioribus intrà latentibus, in ὁμοειδῆ sibi in circuitu Throni Animalia ora sua obverterent: quemadmodum apud Ezechielem, Divinum Numen legimus, Cherubinis, quadruplici eorundem Animalium vultu conspicuis, subvectum fuisse. Atque hoc illud esse quod Joannes de Theatro Apocalyptico refert, non solùm in *Throni circuitu*, sed etiam *in medio Throni*, quatuor ista Animalia conspecta sibi fuisse. Gavisus igitur sum admodum à duriore ista expositione mea me tam insperatò liberatum; de qua, ut verum fatear, scrupulus aliquis mihi semper inhæserat. Eo enim ingenio sum, delicatulo an moroso? Ut nisi ubi interpretatio commodè & absque salebris eat, nunquam mihi satisfacere soleam. Porrò quòd hîc addis de כְּרוּב Ezech. 10. 14. significante *Bovem* à Chaldaico Syriacóq; כרב *aravit*, de hoc quoque monito gratias tibi debeo maximas, & magnopere confirmatum vellem.

At verò quod Clav. Apocal. pag. 6. de *Bestia* & *Imagine* ejus affirmo, ubicunque eæ jugales eant sive invicem componantur, ibi *Bestiæ* nomine *Pseudoprophetam* indigitari, *Imaginis* autem, *Bestiam Decemcornupetam*; Id tibi ex cap. 13. dubium videri ais, & omnino intricatum: Explicatius tamen fortassis futurum, si mentem meam pleniùs perspectam haberes. Ego igitur sic ampliùs declaro mentem meam: Me dictum illud meum non ultrà extendi voluisse, quàm ad loca ubi copulatio ista occurrat τοῦ θηρίου καὶ εἰκόνος αὐτοῦ. Ibi enim genitivum αὐτοῦ activè non passivè capiendum, ut sit sensus, Imago quam fieri curavit Bestia, quæq; in dominio ejus sit, דְּקִלוֹ, non autem quæ repræsentat Bestiam. Quem-

Quemadmodum nimirum si Michæ idolum diceretur ἡ εἰκὼν αὐτοῦ, id est, γλυπτὸν, ut sanè dicitur Judic. 18. 31, aut Nebuchadnezaris Colossus (quò forsan hîc allusum est) ἡ εἰκὼν Ναβυχοδονοσὸρ, utque צַלְמֵיכֶם τὰς εἰκόνας seu τοὺς τύπους ὑμῶν Sp. Sanctus exponit Amos 5. 26. Act. 7. 43. τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε ὑμῖν. Quod nisi admittatur; extra caput xiii. ubi primò in scenam prodit, nunquam iterum *Pseudopropheta* in tota Apocalypsi *Bestia* vocabitur, quod mihi non sit verisimile, Spiritum Sanctum, nomen, quo primò eum produceret atque describeret, nunquam postea adhibiturum.

Attamen alibi, ubi Copulatio ista quam dixi τοῦ θηρίου καὶ εἰκόνος αὐτοῦ minimè reperitur, ut cap. 13. libens agnosco (neque unquam aliter vel per somnium mihi sentire contigit) eandē imaginem Bestiæ quoq; primæ, seu Decemcornupetæ Imaginem dici; atq; hîc quidem sensu passivo, & similitudinis intuitu; id est, Imaginem quâ Bestia repræsentatur, imò quâ ipsa seipsam, sed alio atque alio statu, repræsentet. Quod ut rectè intelligatur, duplex Bestiæ Decemcornupetæ status discernendus est: Unus, in quo plagam accepit; (hic Imperii Romani Ethnici seu à Dracone insessi status fuit) Alter, post plagæ curationem, quo Pseudoprophetæ Imperio, religioso nomine subdita est. Posterior hic status est, qui prioris Imago audit, cujus nempe effigiem adeò ad vivum exprimat, ut in eo prior iste status, vel Bestia, priore isto statu, omnimodo revixisse videatur.

Atque hinc statim colligere licet, Imaginem istam, non Decemcornupetæ restitutæ Imaginem dicendam esse, sed Decemcornupetæ cæsæ; restitutæ verò for-

mam quatenus restituta est. Quod verò opponis *de Bestia curatione ab initio capitis memorata, antequam ulla Imaginis mentio facta sit*; non video cur me à sententia mea depellere debeat: cùm illud non in eadem ejusdem Bestiæ historia fiat, sed in diversis visionibus Bestiarum diversarum; quarum quidem una septem capitibus, & decem cornibús insignis, plagæ quam acceperat curationem adepta est; Altera verò Emplastrum edocuit quo curatio ista facta est. Quæ duo, utut simul eodémq; tempore gesta sint, simul tamen enarrari non potuerunt, eò quòd diversarum Bestiarum essent, quarum suum cuique seorsim attribui oportebat. Quare & illud hîc notandum venit, Apostolum cùm in secundæ Bestiæ descriptione mentionem inserat cap. 13. vers. 12. τὸ θηρίον τὸ πρῶτον, οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, non ad tempus rei gestæ, sed narrationis ordinem respexisse.

Atque hæc de Bestiis. Sed de *mari* quoque *vitreo* (pag. 6. comment. de Sigill.) dicendum est aliquid, quòd aliorsùm ibi sententiam meam accipis. Neque enim ego isthîc dico, eō, non ad labrum Solomonis quod æneum, sed ad Mosaicum, quod ex speculari quadam materia conflatum fuit, alludi; quasi Mosaicum non fuerit æneum: imò expressè scripsi *mare* istud *vitreum*, labrum illud immane in Templo Solomonis (cùm id Textus apertè dicat *mare* nuncupatum) repræsentâsse, quamvìs illud æneum fuerit, nostrum verò ex vitrea pellucidáque materia. Unde fortasse (nempe ob formam istam pellucidam) alludi simul ad vetustius illud Mosaici Tabernaculi labrum suspicari quis possit, quòd illud similiter ex speculari quadam materia conflatum fuisse perhibetur.

Ad reliquas animadverſiones tuas, quæ ferè ad linguarum Orientalium (quarum tu verè Oraculum es) judicium ſpectant, nimis inſcitiam meam & temeritatem proderem, ſiquid tibi reponerem, ſúsque, quod aiunt, cum Minerva in arenam deſcenderem. Ut enim in Hebraicis modicum fortè poſſim, reliquarum peritiam non habeo. Præterea is ſum qui multò magìs aliorum judicia audire malim, quàm mea præfractè defendere. Interim facere non poſſum, quin unum hoc porrò adjiciam, me nullam adhuc cauſam videre potuiſſe cur magìs V. Teſtamento variantem lectionem admittere reformidem, quàm in Novo; aut cur, ubi Apoſtoli & Evangeliſtæ lectionem quam ſecuti ſunt L X X. (nam aliter eos alicubi legiſſe quàm nos hodiè, non eſt dubitandum) calculo ſuo comprobâſſe videantur, illos duces ſequi perinde tutum non eſſet, ac Maſorethas.

* Ut ſiquis exempli gratiâ וַתְּהִי יִרְאָתָם Eſai. 29. 13. legendum cenſeat וַתֹּהוּ יִרְאָתָם κὶ μάτην σέβονταί με, ex Mat. 15. 9. aut pro בָּעַלְתִּי בָם Jer. 31. 32. גָּעַלְתִּי בָם id eſt, ἠμέλησα αὐτῶν ſeu ἐβδέλυξα juxta allegationem Apoſtoli ad Hebr. cap. 8. 9. aut pro פָּרִים שְׂפָתֵינוּ Hoſ. 14. 3. ſublatâ anomaliâ conſtr. פְּרִי מִשְּׂפָתֵינוּ καρπὸν χειλέων ἡμῶν ex cap. 13. 15. ejuſdem epiſtolæ: non video, inquam, cur in Sacram Scripturam ſacrilegus audire mereretur, qui ſic ex ipſa Scriptura ſancta de meliori ejus lectione pronunciaverit. Cùm præſertim Spiritum ſanctum alicubi obſervare ſit criſin maniſeſtiùs exercentem, aliámq; à recepta lectione præferentem, etiam ubi LXX verſioni cum hodiernis exemplaribus Hebraicis ad amuſſim convenit. Locus eſt Matth. 27. commate 10. κὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια (Τὴν

* *Conferatur hymnus Davidis noviſſimus* 2. Sam. 22. *cum eodem* Pſalm. 18. *Hiſtoria excidii Hieroſolymitani* 2. Regæ. 24 *ad finem capitis* 25. *cum eadem hiſtoria* Jer. 52. *Legatio Merodach Baladan* 2. Reg. 20. v. 12. 13. *cum eadem* Eſa. 39. 2. Sam. 21. 19. *cum* 1. Paral. 20. 5.

τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ) καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος. Aut enim nimiùm fallor, aut Evangeliſta hoc loco apud Prophetam in Hebræo legendum innuit, כְּבֵרַת יְהוָה id eſt, κατὰ πρόσταγμα, vel κατὰ σύνταγμα Κυρίου. pro eo quod in noſtris codicibus eſt בֵּית יְהוָה. Quorſum enim alioquin Textum ità clauderet, καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος, & interim nullam τοῦ οἴκου τοῦ Κυρίου mentionem faceret. Imò verò ſuſpicari quis poſſit, etiam Sp. Sanctum tria iſta Prophetæ capita, ix, x, xi. genuino ſuo Autori vindicare voluiſſe. Pluſcula enim in iis ſunt, quæ ſiquis attentè conſideret, non tam *Zachariæ* ætati convenire videantur, quàm *Jeremiæ*. Sed quoniam forſan à Zacharia poſt captivitatem reperta, ejúſque teſtimonio & fide primùm Eccleſiæ commendata; indè factum ut prophetiis ejus adjungerentur.

Ego verò is non ſum, qui horum quidquam temerè & ſolus affirmare velim: quinimo conjecturas haſce meas virorum doctorum, & Tuo imprimis, Vir eximie, judicio ſubjectas volo.

Plura non addo, niſi hoc ſolúm: Unà cum libello meo ad Te venire exemplar Epiſtolæ * ad Amicum, quâ ſententiam meam de MILLENARIO paulò pleniùs aperio; in quam me nullâ animi levitate, aut ſtudio præpoſtero delapſum credas velim; ſed poſtquam alia omnia fruſtrà tentâſſem, tandem rei ipſius claritudine perſtrictum, *paradoxo* ſuccubuiſſe.

* *Quæ inter alias hujus Autoris nuper prodiit Londini.* Vide pag. 478.

Deus te, Vir Clariſſime, diu incolumem ſervet Eccleſiæ & Reipublicæ literariæ bono.

Ità vovet, &c.

De

De Regno ἐπιφανείας *Christi accipiendum illud Apostoli ad* Hebræos cap. 2. vers. 5.

Οὐ γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, περὶ ἧς λαλοῦμεν.

Οἰκουμένη enim *Terra* est, non *Cælum*. At ubi (inquies) de hac οἰκουμένῃ in præcedentibus locutus est Apostolus, ut dicat περὶ ἧς λαλοῦμεν; Aio ab istis verbis versûs Sexti, cap. primi, Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, λέγει &c. id est, *Cùm verò ITERUM introduxerit primogenitum* [suum] *in orbem terræ, dicit*, &c. Quæ enim exinde ex libro Psalmorum ad finem usque capitis citantur, [de adoratione Angelorum, de sceptro rectitudinis Dei, de innovatione mundi, de hostium * sub pedibus conculcatione] omnia, si Apostolo credimus, ad *secundum* Christi *adventum* referenda sunt. Admonitio autem, quæ quatuor primis versiculis capitis secundi hæc excipit, per parenthesin est legenda. Versu demum quinto ad propositum redit Apostolus, & prolixiùs exequitur quæ de humanæ Naturæ supra Angelos prærogativâ disseruerat.

** Non enim tam sessio ad dextram Dei, quàm plena & omnimoda subjugatio & conculcatio hostium in ea allegatione attenditur; quæ demum in secundo adventu adimplenda est.*

Non angelis (inquit) *subjecit* τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, *de qua loquimur*, *Sed* [ei de quo] *alicubi testatus est* Psalmographus *dicens*, *Domine, quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hominis, quòd visitas eum? Modico minorem Angelis fecisti eum, gloriâ & honore coronâsti eum* &c. Et paulò pòst, *Qui verò modico minor Angelis factus est Jesus*, (id est, factus homo, qui naturâ Angelicâ modico inferior est) *videmus propter mortis perpeßionem gloriâ & honore coronatum.* Confer. Phil. 2. v. 7, 8, 9. Atque hæc, ni fallor, mens Apostoli.

Mirabiliter autem nostri versum illum sextum capitis primi transferunt, ut *primo* Christi *adventui* accommodent, trajiciendo nimirum particulam πάλιν acsi scriptum esset πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ, cùm scriptum sit, ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ· Cujusmodi trajectionis exemplum nusquam uspiam ostendi potest: Et præterea verbum εἰσαγάγῃ (præterquam quòd cum πάλιν conjungatur) futuri significationem habeat, cùm sit Aoristus secundus Subjunctivi.

Porrò notandum Psal. 97. (unde testimonium illud de Angelis Christum in secundo adventu adoraturis desumptum est) tam apud LXX quàm Vulgatum Interpretem hujusmodi Epigraphe prænotatum esse, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσταται. *Psalmus David quando terra ei restituta est*. Quid hoc rei esse dicemus? An Psalmus quo David Messiam in resurrectione celebrabit? An quem cecinit postquam ab Absolomo filio pulsus, Regno restitutus est? In Hebræo hodierno Psalmus ἀνεπίγραφος est. Sed LXX aut in suis exemplaribus reperisse, aut ex Traditione mutuatos addidisse vix dubitandum est, ut & alios alicubi Psalmorum titulos, qui nunc in Hebræo non extant.

In versione igitur Anglica vers. 6. pro [*And AGAIN, when he bringeth in the first-begotten into the world*] corrige [*And when he bringeth AGAIN the first-begotten into the world*] or, *shall bring*, &c.

Sic v. 8, pro [*unto the Sonne*] malim [*of the Sonne*] ut antè vers. 7. [*of the Angels*] nam eadem sunt verba.

Pro ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις vers. 12, ut & apud LXX, sunt qui legendum existiment ἀλλάξεις facili mutatione. Et ita habet Textus Hebraicus in Psalmo 102. 27. תַּחֲלִיפֵם, & Latina Vulgata Versio utrobique *mutabis*

bis eos. Ità quoque in Psalmo legit Irenæus lib. 4. cap. 6. Neque ab interprete esse Latinam Vulgatam imitante conferenti apparebit. Eandem lectionem sequitur Tertullianus adversùs Hermogenem c. 34. sed ex Vulgata.

Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone pag. 340. Edit. Paris. Οὗτος γάρ ἐστιν ἀφ' οὗ καὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ δι' οὗ, ὁ πατὴρ μέλλει καινουργεῖν· οὗτος ἐστὶν ὁ ἐν Ἱερουσαλὴμ αἰώνιον φῶς λάμπειν μέλλων. i. e. *Hic etenim est* (Jesum intelligit) *à quo & cælum & terram factam scimus; & per quem & cælum & terram Pater innovabit. Hic est qui in Jerusalem, ut lux resplendeat sempiterna, faciet.* Respicit Esai. 60. 19. cap. 65. 17. Apoc. 21. v. 1. 23. Ex hoc dicto lucem facies Apostolo, capite hoc primo ad Hebræos vers. 2. & 12.

Origines contra Celsum lib. 3. p. 179. οὐκ ἀρνούμεθα τὸ καθάρσιον πῦρ, καὶ τὴν τοῦ κόσμου φθορὰν, ἐπὶ καθαιρέσει τῆς κακίας καὶ ἀνακαινώσει τοῦ παντός. Interpres hîc non bonâ fide egit.

R. David Kimchi in 56. cap. Esaiæ, vers. 6. *Observatio Sabbati* יְסוֹד גָּדוֹל *magnum est fundamentum in fide Dei: quoniam Sabbatum non observabit, nisi qui confitetur* שֶׁהָעוֹלָם מְחֻדָּשׁ *mundum renovatum iri; quódque eum renovaturus sit qui creaverit ipsum ex nihilo, & non est alius præter eum:* Quasi diceret, eum qui *Sabbatum dierum* observârit, eo ipso testari se credere *Sabbatum Magnum*, quo Deus mundum renovaturus sit.

Locum Esaiæ 66. à versu quinto, ad Regnum Christi in Secundo Adventu pertinere testatur Justinus Martyr dial. cum Tryph. p. 312. *In quibus verbis* (dictum Esaiæ locum laudat) *est* τὸ μυστήριον πάλιν τῆς γενέσεως ἡμῶν (id est, resurrectionis nostræ) καὶ

ἁπλῶς

ἁπλῶς πάντων τῶν τὸν Χριστὸν ἐν ἹΕΡΟΥΣΑΛῊΜ φανήσεσθαι προσδοκώντων, καὶ δι' ἔργων εὐαρεστεῖν αὐτῷ σπουδαζόντων. id eſt, *Et omnino omnium qui Chriſtum in Jeruſalem appariturum expectent, & operibus bonis ei placere ſtudeant.*

Ejuſdem vaticinium cap. 45. à verſu 14. & deinceps, in eodem Adventu implendum teſtatur Apoſtolus Ad Romanos cap. 14. v. 11. *Omnes enim* (inquit) *ſtabimus ante Tribunal Chriſti*; *Scriptum eſt enim* (nempe in hoc Eſaiæ vaticinio) *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo* &c. Sic ille. Quòd ſi hæc Prophetiæ pars in ſecundo Chriſti adventu, in die nimirum Judicii, adimplenda reſtet; etiam reliqua eódem pertinere neceſſe eſt. Eſt autem Prophetiæ initium hujuſmodi. *Sic dicit Dominus, Labor Ægypti, & negotiatio Cuſh & Sabæorum, VIRORUM MENSURÆ,* (.i. *MERCATORUM,* גְּבְרִין דִּסְחוֹרָה Sic Targum, quòd menſuris utantur; non, *MEN OF STATURE*) *ad te* (O tu captiva, vel O civitas mea) *tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt, in compedibus tranſibunt, ad te incurvabunt ſe, Te deprecabuntur dicentes, Tantùm in te Deus eſt, & non eſt alius præter ipſum Deus.*

In Hebræo enim omnia hæc pronomina ſunt generis fœminini, quare ad *Cyrum* referri nequeunt, ſed ad *Jeruſalem* Captivam, de qua in verſu præcedenti mentionem habuit, quemque ad majorem rei evidentiam ſic verterem. *Ego ſuſcitavi eum* (Cyrum) *in juſtitiâ, & omnes vias ejus dirigam. Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivam meam* [גָּלוּתִי] *dimittet, idque ſine pretio & munere, dicit Dominus exercituum.* Tunc ſequuntur verba quæ paulò antè recitavi, *Sic*

dicit

dicit Dominus, Labor Ægypti &c. quasi diceret, Parùm est quòd reædificaberis & remitteris; Imò verò Magna te *O captiva mea, ô civitas mea* manet olim felicitas &c. Observandum est enim Dominum indè à fine versûs undecimi respondere quasi interrogationi de Fatis filiorum suorum, juxta quod præmisit, *Ventura interrogate me de filiis meis, & de operibus manuum mearum præcipite mihi*, nempe ut narrem vobis quæ futura sint.

Ejusdem vaticinium de Resurrectione prima cap. 26. vers. 19.

Vivent mortui tui, cadavera mea [נְבֵלָתִי] *resurgent*, (distributivè enim sumendum נבלתי arguit adjunctum verbum pluralis numeri יְקוּמוּן) *Cadavera* autem *mea*, i. quæ pro nomine meo occubuerunt.

R. Solomon, *Vivent illi qui propter te mortui sunt*, (vult enim Prophetam hîc alloqui Dominum) יצא דבר מֶלֶךְ ה״ *Exivit decretum regium à facie tua dicendo, CADAVERA MEA RESURGENT, cadavera populi mei; quorum ceciderunt ossa pro me, illis erit resurrectio. Hoc per antithesin respondet ei quod* v. 14. *suprà scriptum est, REPHAIM NON RESURGENT, hi verò resurgent.* Sic ille. *Rephaim* autem de *improbis* interpretatur, שריפו ידיהם מתורה *qui remittunt manus suas de lege*, eos in seculo futuro resurrecturos negat.

LXX locum sic reddiderunt, ἀναστήσονται οἱ νεκροὶ, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, *Surgent mortui, & excitabuntur qui sunt in monumentis.* Hieron. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.*

Veteres Judæos oraculum hoc de resurrectione mortuorum interpretatos esse liquet ex eo quod refer-

tur in Gemara Sanhedrin cap. xi. *Interrogârunt Sadducæi R. Gamalielem, undenam probaret Deum mortuos vivificaturum? Dixit illis* מן התורה *Ex Lege,* ומן הנביאים *Ex Prophetis,* ומן הכתובים *Ex Hagiographis. Ex Lege*, Deuter. 31. 16. *Ex Prophetis*, Esai. 26. 19. *Ex Hagiographis*, Cant. 7. 9.

De resurrectione quoque mortuorum exponunt Irenæus lib. 5. cap. 15, & cap. 34. (& hîc quidem disertè de resurrectione justorum) Tertullianus lib. de Resurrectione cap. 31. Hieronymus & Cyrillus, Augustinus lib. 20. de Civitate Dei. Imò, qui cum Apostolis vixit, Clemens Romanus in Epistola genuina ad Corinthios diu desideratâ, & superiore anno in lucem editâ: pag. 65.

Descriptio novæ Jerusalem Apoc. 21. à vers. 23. ad finem, tota desumpta est ex cap. Lx. Esaiæ, versibus 19,|3, 11,|11,|5. 6.9.|21. collat. cum vers. 1. cap. LII.

Regnum

Regnum Romanum est Regnum quartum DANIELIS.

REgnum hîc intelligo, non pro eorum sensu, qui diversas Rerumpublicarum formas diversis vocabulis distinxere; sed notione priscâ, cui & sacri codicis stylus assuevit, quâq; non unius duntaxat imperium, sed & optimatum status & populi dominatio comprehenditur. Nam apud prisca secula quosvis Rerumpublicarum Summates, quâcunque regiminis formâ, *Reges* nuncupârunt sive uni fuerint & Monarchæ, sive plures ejusdem potestatis consortes summæ rerum præfuissent. De Gentium usu si quis indicium aliquod aut exemplum requisierit, Homerum adeat, cujus ut alia prætercam, qui mihi nuperrimè legenti occurrebat locus, non gravabor adducere. Is verò est *Odyss. 6.* ubi de Alcinoo Rege ad Procerum concilium eunte, *egrediebatur*, inquit, —— μετὰ κλειτοὺς Βασιλῆας

Ἐς βουλὴν, ἵνα μιν κάλεον Φαίηκες ἀγαυοί,

Ad inclytos Reges, ad Concilium, quò ipsum vocârant Phæaces Generosi. Audi hîc Procerum Senatum, *Regum* cognomine insignitum; ut non immeritò Cyneas Pyrrhi Legatus, (teste Plutarcho) hero suo retulisse fertur *Senatum Romanum multorum Regum consessum sibi visum esse* Βασιλέων πολλῶν συνέδριον.

Sed profanorum testimonia scriptorum conquirant alii, Nos in argumento sacro Sacræ Scripturæ usum videamus. Et primò quidem animadversione dignus mihi videtur Abimelechi sermo ad Sechemitas, Jud. cap. 9. v. 2. eos quasi ab optimatum imperio in hunc

modum diſſuadentis. *Utrum,* inquit, *melius eſt vobis, An ut Regnum habeant in vos ſeptuaginta viri, omnes filii Jerubbaalis; an verò ut Regnum habeat in vos vir unus?* Philiſtæorum quoque Regimen Ariſtocraticum fuit, & penes quinque Satrapas, qui à civitatibus ſuis nominantur. Joſ. 13. v. 3. *Azzathæus, Aſdodæus, Aſcalonæus, Gathæus, & Ekronæus,* quorum tamen *Gathæus* Satrapa, ad quem David confugit, in primo libro Sam. cap. 21. מֶלֶךְ גַּת *Rex Gathi* vel *Rex Gathæus* non ſemel dicitur, * cùm ad id uſque temporis Regni rationem minimè mutatam fuiſſe tam frequens quinque iſtarum Satrapiarum mentio indicat. Mitto quòd urbium ſingularum Rectores & quaſi Conſules etiam alibi *Reges* nominari videntur. Mitto quòd omnes in univerſum orbis terrarum Politiæ, ut alibi ità Matthæi 4. verſ. 8. Βασιλεῖαι manifeſtè nuncupentur, cùm Diabolus Chriſtum Servatorem tentaturus, ei in montem ſublimem aſſumpto, oſtendiſſe legitur *omnia mundi Regna & gloriam eorum.* Magìs prope ad rem noſtram facit, quòd Joannis in Apocalypſi ſeptem Beſtiæ Romanæ Capita, (in quibus Conſules, Tribuni, Decemviri, Dictatores, Pontifices) totidem *Reges* interpretatur Angelus, (hoc eſt) tot *Summates*, penes quos vicibus ſuis *Majeſtas* erat *Regnantis* Populi Romani. Quapropter etiam Daniel *Quarto Regno*, quod hoc ipſum *Romanum* eſſe contendo, plures *Reges* ſeu *Regias* poteſtates attribuit, quando iſtius Regni deſcriptioni ſubdit; *In diebus* (inquit) *iſtorum Regum, ſuſcitabit Deus cæli, Regnum quod in ſecula non deſtruetur.* Hoc eſt, temporibus *Reipublicæ* iſtius *multiregiæ* ſuſcitabitur Regnum Chriſti in ſecula duraturum.

* *Et quatuor reliqui* Jer. 25. verſ. 20. כָּל־ מַלְכֵי אֶרֶץ פְּ

Sciendum

Sciendum igitur eſt ſtatum *Romanum* capitibus utcunque varium admodum, corpore tamen unum fuiſſe. Atque ut Daniel propter multiformem capitum varietatem, *Quartam* hanc *Beſtiam* nulli in terris Beſtiæ aſſimilare potuit; Ità neque unitas *Regni Romani* ex capitibus æſtimari poteſt aut debet, ſed ex unitate *populi regnantis* ſuper orbem terrarum. Civitas enim una eadémque ſub tam multiformi Majeſtate regnabat ſuper populos terræ, ut Joannes loquitur, unde *Caput orbis* & *Urbs orbis Domina* audiebat. Atq; ex iſtis facile cernere eſt, quàm malè obtinuit uſus, ut quatuor iſta Danielis Regna quatuor Monarchiæ nuncuparentur. Ut enim de Romano taceam, de quo nunc lis eſt; certum eſt Græcorum Regnum, de quo nemo dubitat quin Danielis Regnis accenſeri debeat, poſt Alexandrum ampliùs Monarchiam non fuiſſe, ſed in plures Reges diſpertitum. Cap. 7.

Dixi ſatis, quid *Regnum* mihi ſit, & quid *Romanum*.

Sequitur jam ut *Danielis Regna,* quid ſint, cúrque ità nominantur, breviter oſtendam. *Danielis* igitur *Regna* dico quatuor iſta Regna ſeu Regnorum ſeriem, quam primò ex Nebuchadnezaris Babylonii ſomnio de ſtatua quadruplicis materiæ Daniel divinitùs edoctus expoſuit. Dan. cap. 2. de iiſdémque poſtea Daniel ipſe quatuor Beſtiarum ſibi oblatâ viſione pleniùs ab Angelo eruditus eſt, Dan. cap. 7.

Eſt autem Quaternio iſte Regnorum Danielis (quod imprimis obſervari velim) Chronologia quædam Prophetica, non tam Annorum quàm Regnorum intervallis diſtincta, ubi Regnorum in præcipua orbis terrarum parte, ſimul Eccleſiam & populum

Dei complexa, sibi invicem succedentium serie monstratur tempus, quo Christi Regnum à tot seculis promissum & primum * inchoandum sit, idémq; de- Α ϗ Ω.
mum certis temporibus * consummandum.

Et primum quidem vaticinium, quod *imaginis* est sive *statuæ*, utrumque Regni Christi momentum designat, tam inchoandi, quàm olim consummandi: Alterum verò quod quatuor Bestiarum viso adumbratur, ad alterum tantùm illius momentum intendit, quando omnibus hostibus devictis, universa mundi Regna Christi Imperio & legibus subjicientur: *Oportet enim eum Regnare* (teste Apostolo) *usq; quò omnes inimicos supposuerit pedibus suis*. 1. Cor. cap. 15.

Hujus autem Prophetiarum harum in meta intuenda discriminis ea ratio est, quòd utrumque illud Regni Christi momentum non consummandi tantummodo, sed etiam inchoandi, & hujus quidem ad solas Gentes pertinebat, id quod rejectione & obduratione Judæorum indè ab initio Christianismi huc usque satìs ab eventu comprobatum est.

Hinc igitur quæ Nebuchadnezari homini scilicet Gentili visio oblata est, ea utrumque designabat Regni Christi momentum. At verò ad Judæos alterum duntaxat momentum (quo consummandum est Regnum Christianum) pertinebat. Nam *Hierosolyma calcabitur à Gentibus donec impleantur tempora Gentium*. Luc. 21. vers. 24. & *occupavit eos ira* εἰς τέλος, 1 Thess. cap. 2. vers. 16. Quando verò *plenitudo Gentium introierit, tunc totus Israel salvabitur*, ad Rom. c. 11. v. 25, 26. Idcirco quæ Danieli ipsi homini Judæo visio ostensa, illud tantùm Regni Christi momentum, quasi in hujus rei Mysterium, spectare debuit. Jam

Jam ex his quæ dicta sunt ratio quoque elucet, quare ex omnibus mundi Regnis quatuor hæc sola selegit Spiritus Sanctus, quorum fata tam insigni ornaret Prophetiâ; nempe quia ex his solis inter omnia mundi Regna Periodus temporum ejusmodi contexi potuit, quæ rectâ serie & ordinatâ successione perduceret ad tempora & momenta Regni Christi. Non verò quia nulla istis paria Imperia, forsan & aliquibus majora, per omnia secula orbis visurus esset. Nam neque Saracenorum olim, neque hodie Turcarum, neque Tartarorum Regna ditionis amplitudine; Persico aut Græco, puto nec Assyrio, quicquam concedunt; imò, ni fallor, excedunt. Fatendum est nihilominus unumquodque ex quatuor istis Regnis, vel quod minimum est, ità esse comparatum, ut meritò summis & præcipuis orbis Terrarum imperiis annumeranda sint; ut quorum omnium potestas non unius populi ambitu, sed plurimarum Gentium & Nationum Imperio terminaretur; unde statuâ Nebuchadnezari ostensâ amplâ, excellenti splendore & terribili formâ describitur, & Danieli Bestiæ quatuor magnæ è mari ascendentes apparuêre.

His ità ad Problematis intellectum expositis, venio ad Argumenta, quibus firmissimè me assertum ire confido, *Regnum Romanum* esse *quartum Regnum Danielis*. Et primum quidem sic habet.

Argumen-

Argum. I.

Quo rerum potiente Christi Regnum jam olim cœptum est, illud est quartum Regnum Danielis:

At Regno Romano rerum potiente, Christi Regnum cœpit:

ERGO.

Major ex Daniele constat, qui quarto Regno in statua Nebuchadnezaris descripto subdit, *In diebus autem Regum istorum, suscitabit Deus Cæli, Regnum, quod in secula non destruetur, neque populo alieno relinquetur. In diebus Regum istorum,* vel ad verbum, *In diebus illorum Regum illorum,* id est, *quarti Regni temporibus,* quod ut dixi *multiregium* erat futurum: vel si cui hoc minùs placuerit, *Temporibus Regum istorum,* hoc est, constante adhuc & nondum absolutâ aut peractâ quatuor istorum Regum seu Regnorum serie. Alterutra interpretatio necessaria est, & utrâvis idem planè obtinebo, Christi Regnum suscitatum iri aliquo ex quatuor istis Regno nondum elapso, sed adhuc rerum potiente: illud verò cum *Tertium* certum est non fuisse, necessariò *Quartum* erit. Id quod adhuc evidentiùs ex somnio ipso confirmatur. Regnum enim Christi (Daniele interprete) est *Lapis iste excisus sine manibus* (id est, sine ope humanâ) *qui Imaginem percussurus erat ad pedes ipsius ferreos & luteos, adeóque comminueret illos ut locus iis non est inventus ampliùs,* cap. 2. vers. 34, 35. At verò quî potuit Lapis *Imaginem percutere ad pedes,* nisi

nisi saltem pedes isti mansissent adhuc, cùm Lapis è monte exscindebatur?

Minor quoque Romanis imperantibus (non Græcis aut Persis) cœpisse Regnum Christi, non minùs est manifesta. Quid enim? Annon nascente Christo *tota Terra censebatur* ab Augusto? Et non tantùm Judæi sed & Joseph & cum Sponsa Maria Luc. 2. Annon eodem prodente decimo quinto Tiberii Cæsaris, Baptismus & initium prædicationis Jesu Christi? Et quid voluit vox illa Christi, *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris?* Quid illa Judæorum Christum Regem respuentium, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, nisi ut sciamus Romanos solos, non verò Græcos aut alios, tunc rerum potitos.

Item--Passus sub Pontio Pilato Præside Rom.

Et priusquam hinc abeam, facere non possum, quin admoneam, hoc, de quo loquimur, tempus illud esse, de quo Paulus ad Hebr. 1. ait *Deum ULTIMIS DIEBUS locutum esse nobis in Filio*; itémq; ad Galatas cap. 4. *Postquam venit PLENITUDO TEMPORIS, emisisse Deum filium suum, factum è Muliere.* Denique ad Eph. 1. vers. 10. Notum fecisse nobis Deum *Mysterium voluntatis suæ*, Item 1. Cor. 10. 11. Εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν. Item Heb. 9. 26. Νῦν δὲ ἅπαξ (ἔπαθε Χριστὸς) ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων-- At συντέλεια τοῦ αἰῶνος Matth. 24. Item 28. & c. 13. Aliud est, viz. Finis durationis mundi, vel hujus seculi in quo versamur, non seculorum de quibus Daniel. --- *ut in dispensatione PLENITUDINIS TEMPORUM omnia in Christo recolligeret, tum quæ in cælis sunt, tum quæ in terra:* Nimirum ἔσχατοι isti χρόνοι, illud πλήρωμα τῶν χρόνων & πλήρωμα τῶν καιρῶν nihil aliud in N. T. designant, quàm ultimi Regni

tempora in hac ſerie Danielis; tum quod hujus Regni tempora, Quaternionis iſtius revera ſunt ultima tempora; tum quod Regno hoc ultimo Quaternio Propheticus plenitudinem ſuam ſortitur, ſcilicet plenum numerum.

Argum. II.

Quo demum abſoluto & abolito conſummabitur Regnum Chriſti, illud eſt quartum Regnum Danielis:

At Regno Romano ſemel exacto & abolito conſummabitur Regnum Chriſti:

ERGO.

Majoris veritas evidentiſſima eſt ex utraque Danielis Prophetia. De ſomnio Nebuchadnezaris.
Cap. 2. v. 34, 35. *Vidiſti* (inquit) *uſquedum exciſus eſt Lapis ſine manibus, & percuſſit Imaginem ſuper pedes ipſius ferreos & luteos, ut comminueret eos. Ità abſtulit ea ventus, & nullus locus inventus eſt eis. LAPIS autem, qui percuſſerat Imaginem, effectus eſt MONS magnus adeò ut impleret totam terram.* Hoc eſt, ipſo Daniele interprete, *In diebus* Regni quarti *ſuſcitabit Deus cæli REGNUM*, (hic eſt *Lapis* iſte è Monte exciſus) *quod in ſecula non deſtruetur, quódque populo alteri non relinquetur*, (ut prioribus ſcilicet Regnis factum eſt) *ſed comminuet & conſumet omnia iſta Regna: ipſum autem ſtabit in ſecula:* Hoc eſt, *Lapis* Regni Chriſti jam à pluribus ſeculis ex Monte hujus Mundi exciſus, tandem cùm tempus à Deo decretum advenerit, exterminatis

terminatis, & abolitis penitùs, quæ huc uſque vigent, Imaginis hujus partibus noviſſimis, ſeu poſtremis; Ipſe, qui huc uſque *Lapis* duntaxat fuerat & quidem offenſionis, tunc evadet in *Montem Ingentem*, implebitque totam terrarum orbem.

Altera verò Prophetia, quâ Quaternio iſte Regnorum quatuor Beſtiarum viſione adumbratur, hujus rei demonſtrationem ſuppeditat planè invictam. Nam ibi de quartæ Beſtiæ ſeu Regni quarti poſtremâ Dynaſtiâ, quæ ſub *Cornu* iſto *monſtroſo* futura erat, cui & *Oculi* & *Os loquens grandia:* de hoc inquam, *cornu* affirmatur, quod *Bellum cum Sanctis geſturum erat, eiſque prævaliturum: Uſquedum veniret Antiquus dierum, & judicium daretur Sanctis excelſorum: tempúſque veniret, quo Regnum poßiderent Sancti*, id eſt, ut ſtatim ſubdit, *donec Regnum Dominatúſque & Amplitudo Regnorum ſub toto cœlo dabitur populo Sanctorum excelſorum; cujus Regnum erit perpetuum*, & *omnia Dominia ei ſervient & auſcultabunt*. Dan. cap. 7. verſ. 20, 21, 22, 27. Potuítne quidquam apertiùs dici, quo probetur ultimi Regni dynaſtiam ultimam euſque permanſuram, donec hæc omnia de Regno Sanctorum, quodcunq; illud ſit, Compleantur?

Jam de minore propoſitione, quòd Scilicet Romano Regno ſemel exacto & abolito, conſummabitur Regnum Chriſti; ex N. Teſt. facilis eſt probatio. Nam ab abolitione Antichriſti conſummabitur Regnum Chriſti, Ità Paulus 2. Theſſ. cap. 2. v. 8. *Et revelabitur Sceleratus ille, quem Dominus abſumet Spiritu oris ſui, & abolebit ſplendore adventûs ſui*; vel (ut Syrus) *interficiet eum Revelatione adventûs ſui*.

Ità quoque ex Apocalypsi constat ad septimæ, id est, ultimæ tubæ clangorem permansurum Antichristum; quâ semel clangente, *fiunt voces in cælo magnæ, Facta sunt Regna mundi, Domini nostri & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum:* id quod Angelus his verbis paulò antè prædixerat clangente tubâ septimâ, *consummatum iri Mysterium Dei, sicut annunciavit servis suis Prophetis*, cap. 10. v. 6. cum cap. 11. v. 15. At verò Antichristus exoriturus erat ex Imperio Romano, ejúsque pars futura. Paul. 2. Thess. c. 2. v. 7. *Jam peragitur Mysterium Iniquitatis, tantùm qui nunc detinet* [detinebit] *usquedum è medio sublatus fuerit* (id est, Romæ Imperator) *& tunc revelabitur Sceleratus ille.* Et Joannes apertissimè Apoc. c. 16. affirmat futurum *Antichristum* unum ex septem capitibus septicipitis Bestiæ, cui Urbs illa magna insidebat, quæ (Joannis scilicet ævo) *Regnum habebat super Reges terræ.* Si jam *Urbs* illa *Roma* sit, *Bestiáq*; ista *Romanum Regnum*, quod apud omnes, (credo) saltem veteres, in confesso est, erit tunc Antichristus, utpote caput istius Bestiæ postremum, pars Regni Romani; Ergóque Regnum *Romanum* durabit ad consummationem Regni Christi, quò præter hoc nullum, quod in Serie Danielis successionem habere potest, pertinget unquam. Id quod sole meridiano clarius est. Imò (ut hoc tanquam superpondium adjiciam) *Antichristus* iste Novi Testamenti, ipsissimum est *Cornu monstrosum* Danielis, penes quod ut Ille ultimam quartæ suæ Bestiæ Dynastiam prædixit futuram; Ità quoque Joannes sub Antichristo suo sive Pseudoprophetâ ultimam Regni Romani Scenam peragendam esse. Quódque de cornu suo prodigioso Daniel, *Gerebat bellum*

bellum cum Sanctis & prævalebat iis cap. 7. verſ. 21. Idem Joannes de ſuo Monſtro, *Datum eſt ei* (inquit) *bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere*, Apoc. cap. 13. verſ. 7. Daniel cornu ſuo attribuit *Os loquens* GRANDIA, & quòd *verba adversùs Excelſum loqueretur, & Sanctos ejus contereret*. cap. 7. verſ. 8, 11, 20, 25. Idipſum Joannes de ſuo *perdito* refert. *Datum eſt ei os loquens magna & Blaſphemias, & aperuit os ſuum ad Blaſphemandum adversùs Deum, ut conviciis afficeret Tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant* cap. 13. verſ. 5, 6. Ex ungue Leonem, quod dici ſolet. Neque mores tantùm, ſed & tempus Tyrannidis ad amuſſim convenit. Quod enim Daniel de *Cornu* portentoſo, *Tradentur* (inquit) *Sancti in manum ejus, uſque ad tempus, tempora, & dimidium temporis*: Verſ. 25. Idipſum Joannes de *ſanato* iſto & *redivivo* Beſtiæ Romanæ *Capite*. *Data eſt* (inquit) *illi poteſtas agendi* (ſeu ut nonnulla exemplaria habent, *bellum gerendi*) *menſes quadraginta duos* verſ. 5, cap. 13. An non menſes XLII ſunt tres anni cum dimidio, id eſt, Tempus, tempora, & dimidium temporis? Ecce autem capite præcedente verſ. 14, non rem tantùm ſed & ipſa verba Danielis. *Mulier* (inquit) id eſt Eccleſia, regnante Antichriſto fugit à conſpectu Serpentis in deſertum, ubi aleretur per *tempus, tempora, & dimidium temporis*.

Idem ergo prorſus eſt Danielicæ Beſtiæ *cornu prodigioſum* cum *Antichriſto* Joannis in Apocalypſi. Et quoniam utrumque duraturum ſit ad conſummationem Regni Chriſti, ſequitur Regnum Romanum, cujus pars poſtrema eſt Antichriſtus, eſſe ipſiſſimum quartum Regnum Danielis, cujus itidem pars extre-

ma est illa prodigiosi Cornu Dynastia. Frustra enim sunt qui *Cornu* istud aliud à *Bestia*, è cujus capite enascitur & pars est, Regnum esse volunt. *Cornua* enim *potestates* tantùm, *Bestiæ* verò *Regna* distinguunt.

Argum. III.

Quod occupavit Regnum Tertium, eidémque successit; est Quartum Regnum Danielis:
At Regnum Romanum occupavit Regnum Tertium, (nempe Græcorum) eidémque successit:

ERGO.

De Majore nullus dubitandi locus, quin illúd quartum fuerit, quod tertium proximè secutum est, eidémque successerit. De Minore itidem patet ex Historia, Quicquid eousque restabat de ditione Regni Græcorum, id omne Romanis armis & Imperio cessisse. Prædixerat autem Daniel Regnum Græcorum à primi Regis Alexandri morte finibus suis diminutum iri, neque eâ ditionis amplitudine Regnaturos successores ejus atque ipse iis reliquerat. Verba sunt cap. 8. v. 22. *Effracto Hirci cornu magno*, qui eodem interprete est *primus Rex Græciæ, quatuor Cornua pro illo*, hoc est, inquit, *quatuor Regna ex* [*ea*] *gente assurrectura sunt; sed non cum robore illius.* Item cap. 11. v. 4. *Frangetur Regnum ejus*, (nempe Regis Potentis Alexandri) *& dividetur in quatuor partes cœli, sed non posteritati ejus, neque secundùm Dominatum ejus, quo dominatus fuerat.* Et hoc innuere volebam, eò quòd dixi,

dixi, quicquid eouſque reſtabat de ditione Regni Græcorum: Nequis fortè (quod non neminem feciſſe ſcio) requirat ut ad Indos uſque propagetur Imperium Romanum, quartum Regnum alióquin non futurum.

Illa autem Regni Græcorum per Romanos occupatio ineunda eſt à morte Antiochi Epiphanis, quando Perſeo ultimo Rege Macedonum ab Æmylio Conſule devicto, Macedonia primarium Regni Græcanici caput in Provinciam redacta eſt, atque ità cum reliqua ferè Græcia in Imperii Romani Jura conceſſit: nec indè quieverunt Romani, donec continuis quaſi victoriis uſi reliqua ſive *capita* ſive *cornua* penitus ſubegerant. Ab hac igitur Græciæ occupatione putandum eſt initium Regni quarti, non ab ultima, quæ Ægypti fuit, devictâ Cleopatrâ. Nam ubi Regnum Græcanicum primum exortum eſt, ibi fatum quoque ſuum & excidium accepiſſe æquum eſt exiſtimare. Unde videmus Prophetam nuſquam Regnum Græcorum, quamvìs de Regibus ejus ſigillatim egerat, ultra Antiochum Epiphanem produxiſſe: Quia nimirum ab eo tempore Romanus ordinem ſuum capeſſebat in Quaternione Prophetico, atque idcirco qui ſecuti ſunt Aſiæ aut Ægypti Reges, eorum rationem in hac Regia Chronologia deinceps non habendam eſſe. Imò, quod obſervari volo in ipſo Prophetæ textu, Tyrannis Antiochi expreſſè ſtatuitur in fine Regni Græcorum. c. 8. v. 23. בְּאַחֲרִית מַלְכוּתָם *In fine Regni ipſorum* (id eſt Græcorum) *exurget Rex durus facie, & intelligens ænigmata*, &c. Is ſcilicet, de quo in viſione dicit, quòd *uſque ad Principem exercitûs cæleſtis magnificaret ſe, & jugem cultum tolleret &*

Vide Lactant. lib. 7. cap. 15. ſublatâ Carthagine &c.

& abjiceret habitaculum Sanctuarii illius, &c. v. 11.

Et hucusque quidem Argumentum hoc mihi optimè processit, nec usquam impingere visum est: Non est tamen diffitendum habuisse olim Porphyrium, & habere etiam, qui nostro primùm ævo contra totius Ecclesiæ indè ab initio per tot secula consensum, opinionem Porphyrianam ab inferis revocârunt, quod disputationi huic opponant: Græcorum nimirum Regnum non unum sed duo esse Regna. Alterum ipsius Alexandri, quod tertium est in Quaternione prophetico: Alterum successorum ejus, quod quartum est & ultimum Regnum Danielis. Regnum igitur Romanum, tanquam fabulâ jam transactâ superveniens, ab hoc numero penitus excludendum esse.

Contra hanc interpretationem sic insurgo. Quod unicâ Bestiâ adumbratum est, id unicum est Regnum, non duo Regna, scilicet alioquin unica Bestia esset duæ Bestiæ; quod ab omni ratione alienum est. Jam verò omne Regnum Græcorum tam Alexandri quàm successorum ejus unicâ Bestiâ adumbratur. Ergò &c. Minorem leges apud Danielem cap. 8. vers. 20, 21, 22. *Aries* (inquit Angelus) *bicornis quem vidisti, sunt Reges Mediæ & Persiæ: Hircus autem ille villosus est Rex Græciæ; cornu autem magnum interjectum oculis ejus est Rex* PRIMUS. (Audin' hîc Regem primum? at Rex primus & Reges secundi non de diversis dici possunt Regnis, sed uno eodémque) pergit, Atque hoc effracto, quòd *consurgent quatuor pro illo, quatuor Regna ex gente sunt assurrectura, sed non cum robore illius*. Hîc clarissimum est Alexandrum cum successoribus suis fuisse unius ejusdémque *Hirci cornua*: Ideóque unius Regni *potestates*. Ecquis

jam

jam dixerit Bestiam & cornua ejus esse duas Bestias? Me judice ipse merebitur illis annumerari, nè tertia desit Bestia.

At inquient, potuit Propheta aut Spiritus Sanctus, quod hîc unum facit Regnum, ideóque unâ figurat Bestiâ, alibi tamen pro arbitrio duo facere, & duabus adumbrare Bestiis. Sed respondeo, non arbitrii res est, sed veritatis, ut unum sit duo & duo unum: neque Deus potest efficere ut cornu cornu sit & nihilominus Bestia. Unitas Regni in ipsa rei veritate posita est, à signo non pendet. Si igitur hoc verum est unicum esse Regnum, & non duo, tum falsum erit duo esse Regna & non unum; ut qui alterutrum affirmaverit, alterum sine mendacio affirmare nequit. Et quorsum quæso Prophetia, quæ duo in principio Regna repræsentâsset, postea in unum confunderet? Nam si omnino id factum fuisset, non sine ratione factum fuisse, credendum est. Taceo quòd in ipsa quatuor Bestiarum visione, quò adversarii dum effugium parant respiciunt, Tertia Bestia Pardo similis, quæ ipsis fatentibus ad Regnum Græcorum aliquatenus pertinet, & alas quatuor in dorso habet, itémque capita quatuor, quæ, quid (quæso) aliud sunt, saltem capita, quàm quatuor Regni istius Satrapiæ, in quas post mortem primi Regis dissipatum erat? Num hîc quoque dicere audent, quatuor Pardi capita esse aliam & diversam à Pardo Bestiam? Cap. 7.

His denique omnibus illud tanquam Palmarium adjungam, quod jam in superioribus demonstravi, nimirum quarto Regno adhuc superstite, exoriturum esse Regnum Christi, à quo tandem in pedibus suis fictilibus percutiendum sit, & penitus abolendum.

At verò quicquid erat Regni Græcorum, diu ante natum, nedum regnantem Christum, penitus est extinctum; ut ibi quoque probatum est.

Quoniam autem sententiæ hujus autores *Prodigiosum* quartæ Bestiæ *cornu* exponunt de *Antiocho Epiphane* (neque enim de ullo alio exponere potuerint, omnes licèt ingenii nervos intenderint) scire pervelim, quomodo sic visioni Propheticæ sua constabit Veritas, quæ non tantùm ex visione ipsa facilè colligitur, sed interpretatione Angeli expressè disertis verbis affirmatur; *Cornu* istud *bellum gessurum cum Sanctis, iisque prævaliturum, usquedum venerat Antiquus dierum, & judicium daretur Sanctis; & tempus veniret, quo Regnum poßiderent Sancti.* Namque Antiochus iste Epiphanes mortuus est annis quatuor minùs ducentis ante passionem Christi, id est multò pluribus quàm Regnum Græcorum duraverat à morte Alexandri ad eundem Antiochum Epiphanem. Hoccine est bellum cum Sanctis gerere usquedum veniret Antiquus dierum, & regnum Sanctorum constitueret? Sed jam manum de tabulâ: & quamvìs longè plura adferri possunt, hæc tamen sufficient Quæstioni tum explicandæ tum demonstrandæ.

REVE-

REVELATIO ANTICHRISTI

Sive

De numeris Danielis, Mccxc, Mcccxxxv. Cap. 12. verſ. 11, 12.

Quò ſpectent; eouſque nempe Myſterium Extremorum Temporum, ejúſque qui tunc rerum potiretur, clauſum & obſignatum fore: deinceps reſignatum iri.

UT hoc adſtruam, primò ſubmovendum eſt præjudicium ſententiæ Broughtoni, Junii & ſequacium; qui hoſce Numeros calamitatis *Antiochianæ* anguſtiis includere, ejuſdémque terminos & metas, nec aliud quidquam deſignare volunt. Quod ut abſque omni contextûs fundamento faciunt (neque enim illic ſcopus iſte vel uno verbulo innuitur) ità tam manifeſtè contra hiſtoriæ, reíq; geſtæ fidem, ut mihi non exiguam admirationem habeat, tot illius ſententiæ admiratores fautoréſque hactenus reperiri potuiſſe.

Priorem enim Numerum dierum 1290. à pollutione Templi ad Diploma illud αὐτονομίας Judæis 2. Mac. xi. 27. conceſſum ſupputant. Alterum verò dierum 1335. ab eodem principio ad ipſius *Epiphanis* mortem.

Sed rem geſtam omnimodo pervertunt, & bis falluntur inſigniter, Nam primò Diploma illud datum eſt, non ab *Epiphane*, ſed ab *Eupatore* filio, poſt mortem Patris, neque, ut iſti ſtatuunt, ante mortem ejus. Vide locum Maccab. Deinde, à pollutione Templi, neque ad Antiochi mortem, neque ad Diploma

αὐτονομίας intercesserunt plusquam triennium, & quatuor ad summum menses, id est, non ampliùs diebus 1200, quod hac ratione ostenditur.

Repurgatio Templi facta est tribus à Pollutione annis exquisitè evolutis, Anno utique Regni Græcorum 148. die 25. mensis Casleu, qui, Josepho teste (nec dubitationi locus est) respondet Apellæo Macedonum. Vide 1. Macc. 4. 52. Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 11.

Huic Antiochum Epiphanem non quatuor ampliùs mensibus supervixisse constat, cùm nempe eodem anno (putà ab Autumno incipiendo) mense Xanthico, fato jam concessisset, rerúmque potiretur Eupator filius; utpote à quo, illo mense, die 15. αὐτονομίας diploma (in quo de Patris sui morte testatur) Judæis indultum fuerat. Vide 2. Macc. xi. v. 23. 33. Atqui in anno Macedonico sive Syro-Græcorum Xanthicus mensis ab Apellæo sive Casleu consecutione quartus est. Ecce enim mensium Macedonicorum seriem ab Autumno.

1. Hyperberetæus.	7. Xanthicus *Heb.* Nisan.
2. Dius.	8. Artemisius.
3. Apellæus. *Heb.* Casleu.	9. Dæsius.
4. Audynæus.	10. Panemus.
5. Peritius.	11. Lous.
6. Dystrus.	12. Gorpiæus.

Ergò Antiochus Epiphanes repurgationi Templi ultra quartum mensem non fuit superstes.

Ut autem fons erroris obstruatur, quo factum est ut Antiocho Epiphani vita adhuc ulteriùs prorogaretur illud mente probè tenendum est.

Annos

Annos Græcos sive Seleucidarum, quibus Autor primi libri Maccabæorum utitur, Judæorum more, inchoari à Verno mense Xanthico sive Nisan.

Annos autem Alexandræos, quibus utitur autor secundi libri Maccabæorum: (Alexandrinus ipse) inire ab Autumno sequenti, id est ab Hyperberetæo: Hinc factum est, ut cùm anni prioris libri sex mensium intervallo, posterioris antevertant initium, necesse fuerit, quoties res gesta in æstivalem anni semestrem inciderit, ut liber posterior priori annos uno minùs numeret, quod illis qui rem non satis attendissent fraudi fuit. Nam alioquin diligenter conferenti, illud de diverso anni initio indubium erit. Vide Petavium Rationarii Temporum parte secunda Lib. 3.c. 13. pag. 219. qui accuratè confert.

Consule quoq; Sethum Calvisium Isagog. Chronolog. c. 43. Quare cum 2. Maccab. 11. 23. 33. Antiochus mortuus habeatur, Anno Græcorum 148. In primo autem cap. *6. 16.* Anno 149. illud necessariò colligitur, eum mense Xanthico ineunte mortem obiisse: Neque enim citiùs potuit, cùm nondum annus Græcorum 149. à vere incepisset. Neque seriùs cum quindecimo Xanthici, filius, eo jam mortuo, Rescriptum Judæis dedisset. Imò & illud quoque sponte sequitur, non dies 45, prout sententiæ Junianæ adstipulatores sibi persuadent, sed 13. tantùm aut 14. ad summum inter Antiochi mortem, & Rescriptum αὐτονομίας intercedere potuisse; itá ut eò jam *gemini* * *hujus numeri* interstitia accommodari non possit.

* *Scilicet Differentia inter 1290. & 1335.*

Ut hæc omnia clarè & citra difficultatem cognoscantur, Quinquennalis intervalli seriem, dispositis continuè cujusque Anni, tum à Vere, tum ab Autumno

tumno inchoati, mensibus (adscriptis quoque suis locis quæ huc conducunt eventibus) ob oculos tibi (Lector) ponenda duxi, ut ipse rem totam visu dijudices.

Anni Græcorum à Vere 1. Mac.		*Anni Græcorum ab Autumno 2. Maccab.*	*Anni Græcorum à Vere 1. Mac.*		*Anni Græcorum ab Autumno 2. Maccab.*
	XANTHICUS			XANTHICUS	
	Artemisius			———	
	Dæsius			———	
	Panemus			———	
	Lous			———	
	Gorpiæus			———	
145	HYPERBERETÆUS		148	HYPERBER.	
	Dius			———	
	APPELLÆUS Casleu	Tēplum profan. 1 Macc. 1. 54.		APPELLÆUS	Templum Repurgatum 1. Mac. 4. 52
	Audynæus			———	
	Peritius			———	
	Dystrus			———	148
	XANTHICUS	145		XANTHICUS	Antiochi Epiphanis mors. & Diploma αὐτονομίας per Eupat. Eod. mense, 1. Macc. 6. 16. 2. Maccab. 11. 33.
	Artemisius			———	
	Dæsius			———	
	Panemus			———	
	Lous			———	
	Gorpiæus			———	
146	HYPERBERETÆUS		149	HYPERBER.	
	Dius			———	
	APPELLÆUS	Primus Annus Templ. prof. exit.		APPELLÆUS	
	Audynæus			———	
	Peritius			———	
	Dystrus			———	149
	XANTHICUS	146		XANTHICUS	Intra hoc semestre Eupator cum exercitu Hierosolymam venit contra Judam: sed paulò post pacem fecit. 1. Macc. 6. 20. 2. Macc. 13. 1.
	———			———	
	———			———	
	———			———	
	———			———	
	———			———	
147	HYPERBERETÆUS		150	HYPERBER.	
	———			———	
	APPELLÆUS	Secundus Annus Templ. profan. exit.		APPELLÆUS	
	———			———	
	———			———	
	———	147		———	150

Ex

Ex istis jam satis liquere arbitror geminum hunc numerum (quæcunque tandem ejus mens sit dicenda) cladi Religionis Judaicæ per Antiochum Epiphanem nullo modo adaptari posse. Quid igitur hîc restat quàm ut diebus istis (prout alibi solet) annos totidem significari putemus. Neque ad triennalis quadriennalísve paulò minùs intervalli, quinimo ad longinqui temporis eventum aliquem (quicquid tandem id fuerit) exitu suo designandum pertinere.

Illud Judæi animadvertentes, tot annos (de initio tamen numerationis incerti) ad Messiæ sui adventum (quod unicè in votis habent) fluxuros arbitrati sunt, non hodie solùm, sed jam à multis retro seculis: unde factum, ut re temerè in calculum datâ, aliquoties vanâ spe delusi sint, imò bis *Pseudochristorum* laqueis irretiti.

Anno enim quinto Imperii Leonis (ait Theophanes Autor lib. 21. Histor. miscel. cap. 16) id est, anno Æræ Christianæ 720. *apparuit quidam Syrus Pseudochristus, & seduxit Hebræos dicens se esse Christum.* Credibile est huic imposturæ captatam occasionem ex calculo horunce Danielis dierum, ab excidio Hierosolymitano sub Rege Zedechia, à quo ad annum Christi 705. fluxerunt anni 1290. Aberratum est in Computo annis quindecim, quod leviusculum est.

Iterum tempore Maymonidis circa annum Christi 1130. exortus est alius Pseudo-messias seu Messiæ Prodromus, *David El-David* dictus, quem Rex Persarum decollari fecit. Supputârunt dies Danielis à profanatione Antiochi; unde ad Christi annum 1123. sunt itidem anni 1290. neque hîc multùm in calculo, licèt in re ipsâ nimiùm, aberratum fuit.

Vide Epist. Maimonidis apud Buxtorf. in fine Thesauri Gram. & Helvicum.

Simili

Simili fundamento innixus videtur R. Abraham, qui Messiæ adventum prædixisse fertur in annum Christi 1466. ducto videlicet posteriori numero prophetico ab anno Christi 131, quo Adrianus in loco ubi Templum Domini steterat βδέλυγμα ἐρημώσεως, putà Delubrum Jovi Capitolino extruxit.

Indè enim ad annum Christi 1466. numerantur ad amussim anni 1335. sed nullus tunc, quod sciam, apparuit, qui se pro Messia venditaret.

Ex Christianis autem quotquot de annis censent, non diebus; iis ferè in eo cum Judæis convenit, quòd ut illi *numeros hosce* ad *Primum* Christi adventum, ità isti saniore fide ad *Secundum* referunt; vel (quod non multùm interest) ad Judæorum collectionem, quam ipsi quoque Judæi sperant, sed in Epocha statuenda omnino laborant: Imò quædam hîc supponunt neq; Textui neque Rationi satìs congrua. Sed qui sententias eorum particulariùs scire volet, ex ipsis petat. Mihi eas ultrà referendi non est animus, ut nec refellendi.

Quin meam quoque symbolam in numerum interpretationum conferre liceat, quam virorum doctorum judiciis lubens submittam.

Sic igitur statuo: Eventum, quem *geminus iste numerus* exitu suo designat, nec esse adventum Christi, nec restaurationem Israelis; quinimo vaticinii de temporibus quarti Regni novissimis, seu Antichristi, (quo Angelus Dan. 12. 6. קֵץ הַפְּלָאוֹת *finem mirabilium* retulerat) resignationem, eousque putà, quid illis occultaretur, quóve pertinerent, etiam cùm impleri cœperint ignorandis. Hunc esse *numerorum istorum* scopum, fidem tibi faciet Angeli & Danielis hoc capite

Dialogus,

Dialogus, quem ſic ex Textu repræſento, intellectu ſanè perfacilem, modò illud ex capite ſeptimo memineris; Quartæ Beſtiæ, ſeu Regni, tempora extrema ſeu noviſſima eſſe intervallum illud *TEMPORIS, TEMPORUM, ET DIMIDII TEMPORIS Cornu oculato* attributum: de quo item Regno, Cornúque Angelus iterum poſt Epiphanis hiſtoriam (quâcum Scriptura Regnum tertium ſemper terminare * ſolet) ſuperiore capite finiente diſſeruerat: ut ità nimirum temporis rerúmque geſtarum ſeriem à Perſica Monarchia unde inceperat, ad Reſurrectionem uſque & Secundum Chriſti adventum perduceret. Sed auſculta Dialogum.

* *Vid. Dan. 8.23. Nempe quia tunc Regnum quartum ſeu Romanum evehi cœpit, ſubjugatâ ſibi Macedoniâ Regni tertii capite.*

Ang. *Tu verò Daniel claude verba, & obſigna librum, uſque ad tempus FINIS; tum autem diſcurrent multi, & creſcet ſcientia.*

Dan. *At quouſque erit FINIS iſte rerum mirabilium, quem indigitas?*

Ang. *Quoad Tempus, Tempora, & Dimidium Temporis*, id eſt, quoad erunt Regni Quarti tempora illa extrema, jam antea tibi à me indicata, quæ ſunt *Tempus illud FINIS*, quod tibi inculco: utique *cùm conſummata fuerit diſperſio manûs populi ſancti*, (quod nempe ad finem illorum temporum futurum eſt) *conſummabuntur univerſa iſta.*

Dan. Ah Domine mi! nihilo magìs intelligo. Audio quidem nomenclaturam *noviſſimorum temporum:* Sed quid ſibi velit nomenclatura iſthæc, adhuc juxta cum ignariſſimis ſcio. Dic igitur mihi quæſo explicatè, *quid ſit res iſta noviſſimorum temporum, Temporis, Temporum, & Dimidii Temporis?* מַה אַחֲרִית אֵלֶּה

Ang. *Abi Daniel, quoniam res iſta clauſa eſt & obſignata*

ſignata uſque ad Tempus ipſum F I N I S. *Tunc purificabunt ſe, dealbabunturque, & conflabuntur multi; & impii quidem agent impiè, neque intelliget impiorum quiſquam; ſed ſapientes* (rem hanc) *intelligent.*

A tempore verò, quo oblatum erit juge ſacrificium, poſitáque abominatio deſolationis (illa ſcilicet quam tibi paulò antè expoſui) *erunt* (ad tempus reſerandi myſteria) *Dies* 1290. *Beatus qui expectat & pertingit ad Dies* 1335.

Tu verò abi uſque ad F I N E M: *nam quieſces & ſtabis in ſorte tua in fine dierum,* id eſt, in fine temporum iſtorum noviſſimorum, quando ſcilicet *multos è dormientibus in pulvere terræ experrectos iri* * modò audiviſti.

* Verſ. 2.

De Epocha Numerorum.

CAlculi Prophetici ſcopo ſic oſtenſo, & perſpecto, Epochæ quoque illius fœneremur lucem, vel potiùs reddamus à Spiritu Sancto accenſam; eâ conſtitutâ, & firmatâ, poſtea complementi Prophetiæ hiſtoriam exhibituri.

Epocha igitur *Calculi Prophetici* juxta characterem ab Angelo datum eſt *Templi Hieroſolymitani ab Antiocho Epiphane profanatio*; & quidem convenientiſſimè; ut ità typus Antichriſti ad Antichriſti manifeſtationem nos manuducat. De ea enim profanatione Angelus in hoc ipſo vaticinio paulò antè egerat, nec aliam hîc *Ablationem jugis ſacrificii* & *Abominationem deſolationis*, ſed eampſe, quam ibi deſcripſerat intelligi debere, arguunt primò verba utrobique eadem.

וּמֵעֵת הוּסַר הַתָּמִיד וְלָתֵת שִׁקּוּץ שֹׁמֵם hîc Dan. 12. 11.
וְהֵסִירוּ הַתָּמִיד וְנָתְנוּ הַשִּׁקּוּץ מְשׁוֹמֵם illic Dan. 11. 31.

Atqui

Atqui ultima desolatio Hierosolymorum ad finem LXX Hebdomadum, quam nonnulli volunt Angelum sibi Epocham numerationis hîc statuere, secus aliisque verbis prædicitur. Deinde, quod à ratione prorsus alienum sit, neque cordato cuiquam, saltem qui rem expenderit, probabile videbitur; Angelum, ablationis jugis sacrificii & abominationis desolationis, tanquam rei Prophetæ, quorum verba faciebat, jam notæ, mentione factâ, non ad eam respicere quam paulò antè (continuatâ adhuc oratione) descripserat; verùm eâ translatâ ad aliam, de qua ante *triennium scilicet eidem vaticinatus fuerat. Cui, inquam, hoc ut verisimile persuadebitur? Hoc igitur fixum ratúmque esto; Calculi Prophetici Epocham esse profanationem Epiphanianam. Atque hinc mihi, Lector, Demonstratio consurgit hujuscemodi. Si profanatio Epiphaniana sit hujus numerationis Epocha, ea verò non possit (ut ostensum est) cladis istius durationi applicari; necessariò sequitur Dies hîc in annos convertendos, & de longinqui temporis eventu aliquo capiendos esse. Qui quam probè & ad amussim prædictioni respondeat, jam faxo intelligas.

** Nempe anno primo Darii Medi, cùm præsens Angeli colloquium (in quo de abominatione Epiphaniana inter alia agit) habitum sit anno 30. Cyri.*

De Eventu.

PRior numerus à profanatione Epiphaniana numeratus exit ad Annum Domini 1123.

Posterior ad Annum Domini 1168.

Sed cùm peccatum illud desolationis (הַפֶּשַׁע שֹׁמֵם ut appellatur Dan. 8. 13.) ultra sexennium duraverit, haud incommodè à singulis ejus Annis duci potest Calculi prophetici initium, atque ad totidem annos in exitu terminari. Anni autem quos jam posui

à medio ſexennii numerantur, *quando juge ſacrificium ſublatum eſt*, Anno ante Æram Christianam 167.

Fama Prodromus Oraculi implendi.

ANno 1106 (inquit Uſpergenſis apud Baronium) *Paſchalis Papa ordinavit profectionem in Galliam Ciſalpinam, ubi & Concilium celebrandum menſe Octobris indixit. Dum in itinere poſitus Florentiam perveniſſet, de adventu Antichriſti proximè futuro ſparſam famam inveniens, Florentiæ ſubſtitit: Cùm verò audiſſet, quæ ferrentur, ut nullius fidei & autoritatis aſſertionem contempſit, & cæptum iter eſt proſecutus.*

Addit Baronius, fuiſſe opinionem non vulgarium virorum, Antichriſtum iſto ſeculo fore revelandum, & inter alios, Norberti, viri temporis iſtius famâ celeberrimi; De quo ità Bernardus Ep. 56. ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum.

Cùm (inquit) *ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cæleſti fiſtula, ore videlicet ipſius, plurima haurire meruerim; hoc tum ab ipſo non audivi (ſcilicet iturum eum Hieroſolymam) verùm de Antichriſto cùm inquirerem quid ſentiret, durante adhuc eâ quæ nunc eſt generatione, revelandum illum, certiſſimè ſe ſcire proteſtatus eſt. At cum eandem certitudinem unde haberet? ſciſcitanti mihi exponere vellet, audito quod non reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videat generalem in Eccleſia perſecutionem.*

Sabellicus Enneadis nonæ lib. 4. *Prodigia per id tempus* (id eſt ſub Paſchali ſecundo) *aliquot apparuerunt: Mare vicenis paſſibus, alii centenis ſcribunt, præter ſolitum littora inundavit; apparuit & Cometes miræ magnitudinis,*

magnitudinis. His fortasse prodigiis motus, affirmare non dubitavit, Fluentinus Antistes, esse Antichristum natum. Quâ prædicatione Paschalis motus, in Hetruriam profectus, conventúque super ea re Florentiæ habito, cùm appareret hominem nullâ aliâ ratione subnixum, quàm ut alicujus magnæ rei autor videretur; ejusmodi prædicatione usum, tantùm admonuit ut temerario incœpto desisteret. Recognovit idem Paschalis in Cisalpina & Comata Gallia Ecclesiarum statum.

Platina rem sic narrat. Postquam de Cometa dixerat qui tunc temporis apparuit, eum Paschalem tanquam rem naturalem neglexisse, subdit, Verùm *cùm intellexisset Florentinum Episcopum affirmare solitum Antichristum natum esse, eò statim proficiscitur, concilióque habito, re ipsâ admodum discussâ, cum levitate quadam, ut alicujus magnæ rei autor videretur motum Episcopum cerneret, hominem verbis castigatum dimittit; atque inde in Cisalpinam proficiscitur.*

Omnino existimo famam hanc eo præcipuè subnixam fundamento, quòd vidissent Calculum Danielis pro annis computatum tum propemodum elapsum fuisse. Cùm igitur Episcopus iste Fluentinus seu Florentinus priorem periodum forte observâsset intra vicennium aut circiter evolutum iri; porrò putaret Antichristum non nisi ætate jam maturâ revelandum, & adultum ad bellum contra Sanctos proditurum, ideo eum affirmavit jam tum natum esse, minimè verò (ut perperam Centuriatores exceperunt) jam tum in Ecclesia dominari. Nondum enim Romanum Pontificem esse magnum illum & κυρίως dictum Antichristum vel Florentinus Antistes, vel alii suspicati sunt; sed aliam Triennalem & Semestrem

in Matth. Hom. 49.

 expecta-

expectabant. Natam verò hanc famam, ut dixi, ex supputatione *Dierum Danielis*, quasi ad Antichristi adventum deducentium, (nempe *prioris Calculi*, nam *Secundum* fortasse ad extremum judicium retulerint) mihi ut faciliùs credam, suadet non absimile conamen Gualteri Bruti nostratis, qui diu postea circa annum viz. 1390. eámpse rationem allegaverit, revelati suo tempore in Britannia Antichristi, in Tractatu * quem ea de re exhibuit Episcopo Herefordensi: Sed Epocham statuit in excidio Hierosolymitano, ut ità exitum suo & Wickleffi ævo accommodaret: Quidni credam idem aliis, longè ante Brutum natum in mentem venire potuisse, præsertim cum Epochæ verisimilioris ab Antiocho periodus, ab exitu suo haud multùm abesset: Præterea Cometa appareret & alia prodigia humanis mentibus commovendis nata: fortè enim natum putaverint Antichristum eo temporis momento quo Cometa apparuisset, sicut Magi Christum apparente Stellâ: Sed paulò diutiùs fama nos detinuit, jam eventum referemus.

* *Habetur in Foxi Martyrologio ad annum* 1391. *sub Rich.* 2.

Eventus ad exitum prioris periodi 1290.
Annis Christi 1120,1121.1123,&c.

ANno Domini 1120. Indictione Rom. LIIII. post biennium ineunte, quorundam fidelium nomine, emissus est Tractatus de Antichristo, annum quo primum in lucem prodiit quasi de industria in fronte præferens, hisce verbis, *Qual cosa sia L' Antichrist en datte de l' an: Mille cent & vigint*, unà cum symbolo tali, * *Sicut fumus præcedit ignem, victoriam pugna; sic & gloriam Christi tentatio Antichristi.*

* *In opere imperfecto in Matth. Hom.* 49. *ad vers.* 27. *cap.* 24.

In

In hoc libro admonentur Fideles Antichriſtum illum magnum jamdudum veniſſe, fruſtra adhuc expectari, eſſe jam Dei permiſſione ætate provectum.

Præſentem rei Eccleſiaſticæ ſtatum Pſeudoprophetarum regimine & mendaciorum miniſtris conſtantem, una cum populis ei in errore ſubditis.

Qui utraque poteſtate armati, aliiſque omnibus ad errorem fundandum latéque provehendum præſidiis inſtructi, ſub ſpecioſo *Sponſæ Chriſti* titulo, cultûſque & ſanctimoniæ Chriſtianæ larvâ, viam ſalutis per Chriſtum mundo annunciatam, fraudulentis erroribus, & damnationis doctrinis oppugnent; Chriſti meritis, gratiæ & officio mediatorio derogent; uni Deo, Chriſtóque debita, ſibi, creaturis, hominúmq; operibus adſcribant: Sanctos, Sanctáſque numinum vice colant, Reliquiis Imaginibúſque divinam venerationem deferant: Euchariſtiam pro Deo, ipſóque Jeſu Chriſto adorent; verbo, Chriſtianitatis titulo reipsâ Idololatriam exerceant; denique in Dei amantes & vera Chriſti membra odiis & perſecutionibus ſæviant.

Hunc hominum ſtatum (non ſingularem hominem) eſſe *Antichriſtum*, Meretricem Babylonicam, quartam Beſtiam Danielis (nempe in ſtatu ejus noviſſimo, ut dictum eſt) hominem illum peccati, & filium perditionis, qui extollitur ſuper omnem Deum, ità ut in Templo Dei, id eſt, Eccleſiâ ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus, qui jam venit in omni genere ſeductionis, & mendacii in iis qui pereunt.

Quapropter ſe ab hoc Iniquitatis Myſterio, ſicut mandavit Deus, ſeceſſionem facere tam intrinſecè quàm extrinſecè, hortaríque omnes, quibus Deus Opt.

Opt. Max. eandem veritatem revelaverit, ut idem secum facerent: Civitatique Sanctæ Jerusalem, veritati Christi, & Sponsæ ipsius perpusillæ sese adjungerent.

Quem in finem se jam mundo notum facere, qualis sit ipsorum coetus, & quas habuerint secessionis suæ causas.

Hæc scripti illius summa est, quod Dei providentiâ ad nostrum usque tempus, servârunt Reliquiæ Waldensium Alpinorum, à quibus acceptum typis non ità pridem vulgavit ex antiquo Manuscripto *Joannes Paulus Perrin* in * Hist. Waldens. & Albigens. Gallicâ. Videsis eum, Lib. 1. cap. 7. & parte tertiâ, (quæ de doctrina & disciplina Waldensium agit.) Lib. 30.

* *Quam Anglicè vertit Samson Lennardus, Anno 1624.*

Atque hoc fuit secessionis Piorum à Romana Ecclesia initium; neque ante hoc tempus, quicquam ex omni Christianorum memoria, auditum fuisse crediderim, de Papatu magno illo, & κυρίως dicto Antichristo, neque alium expectandum esse.

Quæ tamen sententia ab hoc tempore in plurimorum animis gliscere, atque indies magis magísque invalescere coepit.

Nam quod unicum hîc excipi potest, de Hildebrando, in quem aliquot antè annis, hujus nominis jaciebantur contumeliæ, id assertionem meam non labefactat; siquidem in personam illius eæ dirigebantur, & aliam ob causam, ídque ab illis qui Romanæ Ecclesiæ cultum & dogmata nondum improbârunt; propterea non alio censu habendæ quam pro parabolicè & κατ' αὔξησιν dictis, Declamatorum more.

Sed enim fuisse hoc tempore coetum aliquem qui à

Romana

Romanâ Ecclesiâ secessionem fecerat, & seorsim conventus ageret, id porrò ex Bernardo colligitur Serm. 65, & 66. in Cantica Cantic. ubi in *vulpeculas* quasdam declamitat vineam Ecclesiæ demolientes. Quos tamen (inquit) *si fidem interrogas, nihil Christianius; si conversationem, nihil irreprehensibilius; & quæ loquuntur, factis probant:* præterea *jactare se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominari.* Lege (Lector) si lubet; contulisse non pœnitebit.

Affingit quidem Ille ex auditu *vulpeculis* istis errores aliquot Manichæorum de prohibitione conjugii, & interdictione ciborum, ut facilè hinc agnoscas *Waldensium* progenitores, quibus & similes Manichæismi affiicti sunt, sed falsò, ut luculenter ostendit Reverendissimus & omnis Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Archiepiscopus Armachanus. Quin & omnis ævi experientia testatur, etiam nostri, quàm parùm fidei in hujusmodi criminationibus adversario tribuendum sit. Hoc tamen eò à me dictum putari nolim, quasi sagreges istos omni prorsus erroris labe expertes crederem. Nihil opus est. Quippe in eo non vertitur res, quam adstructam velim. Ultrò igitur dare non verebor præ * ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς (ut est hominum nium) cùm istos, tum postea Waldenses & Albigenses (quidni & nostros) in nonnullis tum quæ ad dogmata, quàm quæ ad mores spectant (quæ tamen essentiam Fidei Christianæ non lædant) ab errore excusari non posse nec debere. Hoc tamen non prohibere assero, quo minùs fuerint *Cœtus* ille Jesu Christi *electus, vocatus, & fidelis.* In hoc enim Religionis examine, illud nos (ut opinor) sentire decet, Veros Apoc. 17. 14.

* *excessu tractionis in contrariam partem.*

& legitimos Dei cultores, non ex omnimoda erroris, etiamnon fundamentalis, immunitate censendos esse, quinimo ex puritate cultûs, & immunitate ab Idololatria. Qui sic comparati, Deo Patri, per Jesum Christum Filium Mediatorem, sincerè placere studeant, ei gratos esse & acceptos. Quis enim mihi præstabit septem illa millia, qui tempore Eliæ Baali genua non flexerunt, quósque Deus sibi superfuisse testatur, ab omni errore graviore fuisse immunes? Aut Ecclesiam Judaicam aliquot ante Christum seculis, quâ parte sincerissima fuit, pluribus de Religione erroribus non laborâsse?

Eventus ad exitum Posterioris periodi 1335. *Annis Christi* 1166, 1167, 1168, 1169.

INter Annum Christi 1160. & 1170. (nam quo præcisè anno inter Scriptores non convenit) quodam quasi Antichristi jam patefacti classico excitati, magnus hominum numerus, alii *Waldenses* ab Autore *Waldo*, alii *Albigenses*, alii aliis dicti nominibus, ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt; Eam esse Babylonem illam Apocalypticam Matrem scortationum & abominationum terræ, mirabili planè consensu & constantiâ denunciantes. In quos ingens statim persecutio exorta est, imò integri exercitus adversus eos ducti sunt, tantáque strages (priusquam cessatum est) edita, ut per Galliam solam, si Paulus Perionius in ejus Belli historia rectè calculum inierit, occisa sint ad DECIES CENTENA hominum MILLIA; sed *Beati mortui qui in Domino moriuntur; ámodo dicit Spiritus*. Apoc. 14. 13. Id quod & Angelus hîc apud Danielem spectâsse videtur

tur, cùm dixerat, *Beatus qui expectat & pertingit ad Dies* Mcccxxxv. nisi illud fortè potiùs ad illustriorem Antichristi patefactionem tunc futuram referendum, quâ beatus esset, cui eam videre contigisset: utcunque, hi fuerunt isti, de quibus ibidem Angelus, *purificandi, dealbandi & conflandi*; quósque sapientiæ, & in Dei mysteriis perspicaciæ testimonio exornat. Hostes autem illorum *impii isti, qui impiè agerent, nec intelligerent.*

Cur Deus voluerit isto potiùs quàm alio seculo Antichristum primitùs revelandum?

1. Quia, tum ad ἀκμὴν suam perveniret, eóque omnes Antichristi characteres plenissimè repræsentaturus, ut clariùs cerni cognoscique potuerit, sicut Sol Meridie.

2. Quia seculo isto in neminem alium suspicio Antichristi cadere potuerit, Quippe Imperio Saracenico tum ad occasum & ruinam indies præcipitante, Ottomanico nondum cœpto.

3. Quia Deus hac ratione fidelibus suis prospectum voluit nè persecutioni Antichristi tum præ foribus existenti, animis fracti succumberent: sed omnino persuasum haberent, se esse Sanctos illos à bestia vincendos, Apoc. 13. proindéque rabiem ejus hâc consolatione freti animosè contemnerent.

Quare Spiritus hujuscemodi numerorum periodos hîc assumpserit, qui neq; ad septenarios neq; ad ullam omnino numeri perfectionem revocari possint?

R. Quia tempus, quo res accideret ad factum Romanum spectans, designaturus, ad eam tem-

poris putandi rationem sese accommodare voluit, quâ soli Romani (& quidem temporibus istis novissimis) usuri essent, tum in Imperatorum suorum Constitutionibus & Edictis, tum in Pontificum Decretis subnotandis, Epochæ nimirum Indictionum. Utriusq; enim periodi Angelicæ, ab Anno profanationis Epiphanianæ putatæ, exitus concurrit cum initio, seu primo Anno Indictionis Romanæ; Siquidem Annus Christi 1123. primus est Indictionis Romanæ LIIII. Annus item 1168. Annus primus est Indictionis LVII. Quæ enim inter utrumque numerum differentia est annorum, seu dierum annalium, 45. ea tres Indictiones (15 scilicet Annorum in orbem recurrentium periodos) ad unguem comprehendit. Quæ omnia casu contigisse quis facilè crediderit; & non potiùs Spiritum Sanctum deditâ operâ istiusmodi numerorum periodis usum, ut ad initia Indictionum Romanarum collimaret, quibus futurum esset ut Prophetia resignaretur. Idem verò hoc facto mihi innuere videtur, acsi dixisset; Primam hujus Mysterii reserationem futuram ad Indictionem Romanam LIIII. Cujus Annus primus esset à profanatione Epiphaniana 1290. *Beatum* verò *qui expectaret & pertingeret* ad Indictionem Quinquagesimam: cujus Annus primus esset à profanatione Epiphaniana 1335. Indictionem autem eam assumpsit, non quæ magnam partem jam præteriisset, sed quam Eventus primum integram amplexu suo occuparet, ut applicatio quam suprà ex historia rei gestæ dedimus, consideranti manifestum faciet. Neque sane res ipsa, siquis ad rationem & indolem ejus bene attenderit, ejusmodi est, cujus initii observationem, uni alicui

IndictioRomana est quindecim annorum spatium.

anno

anno commodè alligaveris, sed quæ annorum aliquot spaciolum requirat? Huic igitur rei, temporis per Indictiones designatione, sapientissimum prospectum est.

Consectaria.

DAtâ, quam hucusque astruere conati sumus de mente hujus vaticinii, hypothesi, Tria magni momenti Porismata consequuntur.

1. Patrum Autoritatem in negotio Antichristi & novissimorum Temporum (utut in aliis multum illis tribuendum sit) omnino nullam esse: utpote quorum ætate mysterium istud juxta Angeli Prophetiam adhuc clausum & obsignatum foret. Non igitur esse cur hic Patrum opinationibus tantopere moveamur, ut multi solent.

2. Si Antichristus seculo isto XII. revelandus erat, ergo jam venerit, ipsissimúsque est qui tunc revelatus fuerit, non alius.

3. Waldenses, Albigenses, cæterósq; similes, tunc temporis à Romana Ecclesia segreges, tot Adversariorum suorum præjudiciis gravatos, quibusdam etiam è nostris nimiùm hâc parte credulis de Schismate si non hæresi suspectos, hujusmodi calumniarum de Spiritûs Sancti sententia absolvendos esse, próque legitimis Dei Patris per Jesum Christum cultoribus, quibus utique sapere & intelligere solis, in tam caliginoso (hoc) Ecclesiæ statu datum fuit, hujus Scripturæ vi agnoscendos.

D. HIERONYMI
Pronunciata de Dogmate
MILLENARIORUM.

IN cap. 54. Esaiæ vers. 1. LAUDA vel LÆTARE STERILIS, QUÆ NON PARIS, &c. *Hunc locum*, inquit, *& cætera quæ sequuntur, Judæi & nostri Judaizantes ad Hierusalem referunt, quam dicunt in mille annorum regno instaurandam, & eandem esse quæ priùs habuit virum, & postea habere desierit: multóque plures habitura sit filios post repudium, quàm priùs habuit sub viro. ---Nec mirandum de Judæis, quorum oculi auresq; sunt clausæ, si apertam non videant veritatem. De Christianis quid loquar, nescio; qui, dicente Apostolo quæ sunt allegorica, & ad duo Testamenta, Vetus & Novum, Saram Agárque referente, Judæis tradunt manus, terrenarum in mille annis desiderio voluptatum.*

Ad vers. 11. *Respondeant amatores tantùm occidentis literæ, & in mille annis exquisitos cibos gulæ ac luxuriæ præparantes (quorum Deus venter est & gloria in confusione eorum; Qui post secundum in gloria Salvatoris adventum, sperant nuptias, & parvulos centum annorum, & circumcisionis injuriam, & victimarum sanguinem, & perpetuum Sabbatum: qui dicunt cum Israel in perversum modum;* Manducemus & bibamus, cras enim regnabimus:) *quæ sit ista cœlestis Hierusalem, cui nunc dicitur:* ECCE EGO STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS &c.

In cap. 60. vers. 1. SURGE ILLUMINARE &c. *Breviter*, inquit, *perstringendum est quod plurimi de hoc loco*

loco sentiant, ut errore perspecto, faciliùs possimus suscipere veritatem. Judæi & nostri semijudæi, qui auream atque gemmatam de cælo expectant Hierusalem: hæc in mille annorum regno futura contendunt: quando omnes gentes servituræ sunt Israel, *& cameli Madian, & Epha de Saba venientes, aurum deferent & thus &c.--Hæc illi dicunt, qui terrenas desiderant voluptates, & uxorum quarunt pulchritudinem, ac numerum liberorum: quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum: quorum qui sequitur errorem, sub nomine Christiano Judæorum se similem confitetur. Alii autem asserunt hæc omnia Judæis carnaliter repromissa, si eum recepissent qui dicit in Evangelio* EGO SUM LUX MUNDI—— *quem quia non susceperunt, repromissiones quoque irritas fieri.* --- vide cætera. In procemio in lib. 18. Commentariorum in Esaiam. *Nec ignoro quanta sit inter homines sententiarum diversitas. Non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta confessio est ignoratio scientiæ; sed de aliis Ecclesiasticis dogmatibus, de Resurrectione scilicet, & de Animarum & humanæ carnis statu: de repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi; & quâ ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis: quàm si juxta literam accipimus, Judaizandum est: si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videremur opinionibus contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii: Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantùm Lugdunensis Episcopi faciam mentionem, adversùs quem vir Eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam & auream atque gemmatam Hierusalem in terris, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, Circumcisionis injuriam*

juriam, nuptias, partus, liberorum educationem, Epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem, rursúsque bella, exercitus, ac triumphos & superatarum neces, mortémque centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus respondet Apollinarius, quem non solùm suæ sectæ homines, sed & nostrorum, in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo: ut præsagâ mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantùm ament terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulâque ac ventris ingluviem, ea quæ sub ventre sunt quærunt. De quibus Apostolus, ESCÆ, *inquit,* VENTRI, ET VENTER ESCIS, &c. *Et,* NON EST REGNUM DEI CIBUS ET POTUS. *Et Christus,* ERRATIS NESCIENTES SCRIPTURAS, NEQUE VIRTUTEM DEI. IN RESURRECTIONE ENIM NEQUE NUBENT NEQUE NUBENTUR, SED ERUNT SIMILES ANGELORUM.

In cap. 66. Esaiæ. vers. 22. QUIA SICUT COELI NOVI ET TERRA NOVA &c. *Quod aliis verbis in alio Psalmo dicitur,* OMNES GENTES QUAS FECISTI, VENIENT ET ADORABUNT IN CONSPECTU TUO ET GLORIFICABUNT NOMEN TUUM DOMINE: *Mensem ex mense & Sabbatum ex Sabbato, in quibus veniet omnis caro, ut adoret Deum, ridiculè interpretantur* XΙΛΙΑΣΤΑΙ, *quos nos dicere possumus* MILLIARIOS: *ut qui in vicina sunt, omni Sabbato veniant in Hierusalem; qui longiùs, per menses: qui valdè procul, per annos singulos, hoc est, diebus Paschæ sive Tabernaculorum, juxta illud quod in Zecharia dicitur* [Cap. 14.] ASCENDENT AB ANNO IN ANNUM &c.

In Hieremiam cap. 31. 27. *Omnes hujusmodi repromissiones juxta Judæos & nostros Judaizantes, in mille annorum regno putantur esse complendæ: Nos autem --- in primo adventu Christi spiritualiter impleta docemus, & impleta ex parte non ex toto.* Ibidem ad vers. 38. *Qui mille annorum in terra Judæa regnum Christi recipiunt, Judæi videlicet & nostri Judaizantes conantur ostendere turrem Hananeel, & portam anguli, &c. --- Et ibi dicunt Sanctuarium Domini,* id est, Templum esse condendum, mansurúmque in perpetuum. Vide cætera.

In cap. 16. Ezech. vers. 55. ET SOROR TUA SODOMA, &c. *Judæi inter cæteras fabulas & interminabiles genealogias, & deliramenta quæ fingunt, etiam hoc somniant; in adventu Christi sui, quem nos Antichristum scimus, & in mille annorum regno, Sodomam esse restituendam in antiquum statum, ità ut sit quasi paradisus Dei, & quasi terra Ægypti: & Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judæam --- Hierusalem quoque tunc fabricandam &c. --- Nos autem perfectam horum scientiam Dei judicio relinquentes, imò liquidò confitentes, post secundum adventum Domini Salvatoris nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia quæ primùm in Evangelio promittuntur, hoc dicimus: quòd in Ecclesiæ statu cuncta completa sint & quotidiè compleantur &c.*

In cap. 36. *Hæc illi* (id est, Judæi) *expectant in mille annorum regno, quando Civitatem Hierusalem asserunt extruendam, & Templum, quod in fine hujus voluminis describitur, & cæterorum omnium felicitatem; quorum nonnulli arbitrantur sub Zorobabel hæc fuisse completa. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur* vers. 11.

ET HABITARE VOS FACIAM SICUT A PRINCIPIO &c. Paulò pòst, *Et quia longum est nunc adversum dogma Judaicum, & beatitudinem ventri & gutturi Judaico servientem --- in brevi explanatione dicere. Neque enim juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam & auream de cælo expectamus Hierusalem; nec rursus passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, nec Sabbati otio dormiemus. Quod & multi nostrorum, & præcipuè Tertulliani liber qui inscribitur de spe fidelium, & Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, & Victorini Pictavionensis Episcopi crebræ expositiones, & nuper Severus noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit. Et ut Græcos nominem, & primum extremúmq; conjungam, Irenæus & Apollinarius.*

In cap. 37. verſ. 15. in fine. *Quod si Judæi & Christiani Judaizantes, hæc ad Mille annorum voluerint referre regnum; necessitate coguntur, ut suscipiant omnes qui salvi fuerint habitaturos in terra Israel, ædificandam Hierusalem, extruendum Templum, cunctas legis ceremonias exercendas, observandum Sabbatum, accipiendam circumcisionis injuriam &c.*

In cap. 38. *Igitur Judæi & nostri Judaïzantes putant Gog esse gentes Scythicas immanes &c.--- & has post mille annorum regnum esse à Diabolo commovendas, &c.*

In cap. 39. *Et hæc Judaicæ traditionis hæredes, & discipuli interminabilium fabularum, post Mille annorum Regnum futura contendunt.*

In Micheam cap. 4. *Sciendum quoque hoc capitulum & huic simile de Esaia, Judæos & eorum erroris hæredes ad mille annorum referre imperium Christi & Sanctorum &c.*

In Zach. c. 14. ad v. 10. IN DIE ILLA &c. *Judæi et Christiani judaizantes ultimo sibi tempore repromittunt, quando rursum exercenda circumcisio sit, & immolandæ victimæ, & omnia Legis præcepta servanda: ut non Judæi Christiani, sed Christiani Judæi fiant. In die, inquiunt, illâ quando Christus in Hierusalem aureâ & gemmatâ sederit regnaturus, non erunt idola, nec Divinitatis cultura diversa: sed erit Dominus unus.* Paulò pòst, *Hæc Judæi juxta literam somniant, & nostri* χιλιασταὶ *qui rursum audire desiderant Crescite & multiplicamini &c. At pro vita hujus continentia brevíque jejunio, bulbos sibi & vulvas & aves Phasidis, & attagenem nequaquam Ionicum, sed Judaicum repromittunt* &c. Hactenus Hieronymus.

Animadversiones in D. Hieronymi *Pronunciata &c.*

SEd fidem tuam Hieronyme! qui cum Dionysio tuo Alexandrino Millenariorum dogmati promiscuè affingitis *Circumcisionis injuriam, victimarum sanguinem*, cæteráſque Legis cæremonias postliminio instaurandas: Scilicet quæ Judæi, aut fortè ex Judaismo Hæretici de suo Millenario somniârunt, vos Christianis odiosè impingitis. Hoccine verò candorem vestrum decuit? Imò, tu Hieronyme, vel teipso judice, prodis criminationem istam falsam esse. Sic enim scribis in Jeremiam cap. 19. v. 10. *Post captivitatem quæ sub Vespasiano & Tito, & postea accidit sub Hadriano, usque ad consummationem seculi Ruinæ Hierusalem permansura sunt: quanquam sibi Judæi auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent,*

rursusque victimas & sacrificia, & conjugia Sanctorum, et regnum in terris Domini Salvatoris: quae licet non sequamur, damnare tamen non possumus; quia multi virorum Ecclesiasticorum et Martyrum ista dixerunt. Unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta judicio reserventur. Hæc verba tua sunt, Hieronyme. Sed dic sodes: An viri isti Ecclesiastici & Martyres sanctissimi dixerunt, circumcisionem et victimas in regno illo Christi restituendas? * Cave dixeris. Aut si ita credidisse scires, annon sine cunctatione damnares?

* Certè contrarium docuere: Id quod firmari potest ex Justini Martyris dialogo cum Tryphone Judæo. Οὐ ἐν τῇ πάλιν παρουσίᾳ μὴ δόξητε λέγειν Ἠσαΐαν ἢ τοὺς ἄλλους προφήτας θυσίας ἀφ' αἱμάτων ἢ σπονδῶν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἀναφέρεσθαι, ἀλλὰ ἀληθινοὺς καὶ πνευματικοὺς αἴνους καὶ εὐχαριστίας. In cujus [Christi] secundo adventu, nè existimetis Esaiam aut alios Prophetas admonere, ut sacrificia sanguinis aut libationum super altari offerantur, sed veræ atque spirituales laudes & gratiarum actiones.

Verba GAII apud EUSEBIUM.
lib: 3. cap. 27. Hist. Eccles.

Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος ἐπεισάγει, λέγων. μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι. id est, Sed et Cerinthus per Apocalypses velut à magno Apostolo scriptas, portentosa quædam nobis, quasi per Angelos sibi ostensa mentitus, attulit, Regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum, et carnem rursum denuo Hierosolymis concupiscentiis ac voluptatibus

luptatibus carnis serviturum dicens: Et cùm inimicus esset Scripturis Dei, numerum quendam Millenarii festi nuptiis deputatum, seducere volens, futurum dixit.

Animadversiones in verba GAII.

ANnon hinc meritò quis suspicari possit Gaium istum ex Alogorum hæreticorum numero fuisse, quos Epiphanius tradit Dei λόγον negâsse, ideóq; tam Joannis Evangelium quàm Apocalypsin Cerintho tribuisse? Tempus omnino congruit: Theodotus enim Alogorum antesignanus à Victore Papa de Ecclesia ejectus est, Gaius autem iste floruit sub Zephyrino, qui Victorio proximè successit.

Possunt tamen forsan Gaii verba in eum sensum accipi, acsi dixisset Cerinthum alias nescio quas Apocalypses præter unicam illam magno Apostolo affinxisse, ex quibus probare satagit homo falsarius Regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum, in quo homines carnis cupiditatibus & voluptatum carnalium blanditiis inservirent. Et χιλιονταετίαν non illum quidem commentum esse, sed docuisse eam in nuptiarum festis & similibus cupediis consumptum iri, quasi Joannes idipsum voluisset.

Sed quæcunque fuerit Gaii mens, verisimile est eum de Cerintho falsum fuisse. Si enim hæc fuisset Cerinthi hæresis, quî id ignorare potuerint Justinus, Irenæus, Melito, Tertullianus, Hippolytus; quorum Irenæus & Tertullianus Cerinthi hæreses ex professo enumerârunt: Sed de isthac altum silentium. Unde igitur illud Gaio innotuit?

Videntur nihilominus hæc Gaii, hominis obscuri, verba Dionysio Alexandrino, Eusebio, & aliis pluribus, fervente lite cum Millenariis, errandi, & de Apocalypseos autoritate dubitandi occasionem præbuisse.

FINIS.

Lector:

LEctor: vel ramentis auri suum pretium: quapropter exhibemus tibi & hasce Medi nostri in Apocalypsin annotationes, quæ certè majoris operis analecta videantur; Sed nec immemores interim illius, quod præcepcrit Christus,

JOAN. c. 6. v. 12.

Congregate quæ superfuerunt fragmenta, Nè quid pereat.

Annotationes in Apocalypsin.

CAP. 1. vers. 3. —  *Empus enim propè est.* id est, Jam adest tempus, quo *verba Prophetiæ hujus* impleri cœperint, & indies magìs magísque implebuntur.

Vers. 4. --- *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est,* καὶ ὁ ἐρχόμενος. Eadem habentur verba, vers. 8. cap. 4. 8. cap. 11. 17. Ὁ ἐρχόμενος. *Venturus* idem est quod ὁ ἐσόμενος *Futurus*, ut ex cap. 16. 5. manifestum est, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος, *utì locum hunc restituit Beza ex vetusto bonæ fidei manuscripto codice. Seculum *futurum* Hebræis est עולם הבא. Unde Marc. 10. 30. Luc. 18. 30. Αἰὼν ὁ ἐρχόμενος. Ephes. 2. 7. Ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις. Vide Psal. 71. 18. לְכָל־יָבוֹא Esa. 27. 6. הַבָּאִים *Venturis* sub. diebus, id est, Posthac, Inposterum. Esaiæ 44. 7. וְאֹתִיּוֹת וַאֲשֶׁר תָּבֹאנָה Vulgat. *Ventura & quæ futura sunt.* Dan. 9. 26. עַם נָגִיד הַבָּא *Populus Principis venturus*, id est, *futurus*. *Et à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Per Spiritus* hos intelligit *Angelos* Aretas in locum, τινὲς τὰ ἑπτὰ πνεύματα τὰς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου ὑπέλαβον πνεύματος, δοκιμώτεροι δὲ ἀγγέλους ταῦτα νοεῖν. Cornelius à Lapide pro eadem sententia

* *Vulgat. legebat* ὅσιος, *Sanctus.*

tiæ *Junium* laudans, sed fallitur. Fortè *Drusium* dicturus fuisset, nam ille sic sentit ad hunc locum, ubi inter alia habet, *Septem Archangelos esse qui stant coram Deo etiam Jonathan prodidit*; Sed ubi non commemorat. Locus est Gen. 11. 7. *Dixit Dominus Septem Angelis, qui stant coram eo, Venite nunc, &c.* Cum istis facit Th. Beza, *quòd (inquit) septem hos spiritus nonnulli pro Spiritu Sancto acceperunt, cujus septiformis (ut loquuntur) sit gratia, manifestò refelli potest vel ex eo quod scribitur infrà, 5, 6.* Et paulò pòst, *Ut nemo de hoc possit ambigere, iidem isti septem spiritus infrà, cap. 5, 6. Agni cornua & oculi (id est, ministri) dicuntur.* Accedit, quòd in cap. 8. 2. expressè dicuntur *Angeli. Vidi*, inquit Joannes, Τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἑστήκασι, *Septem Angelos qui adstant coram Deo.* Confer. cap. 4, 5. --- *Septem lampades ante Thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei.* cap. 5, 6. *Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Ex Zach. 4. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt per universam terram.* Videsis etiam Tobiæ 12. 15. *Ego sum unus ex septem Angelis, qui astamus ante Dominum.* Cypr. adversùs Judæos lib. 1. 20. Hilar. in Psal. 118. vel 119. & Psal. 129. vel 130. Adde, Clem. Alex. lib. 6. Strom. ἑπτὰ μέν εἰσιν οἱ τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντες πρωτόγονοι ἀγγέλων * ἄρχοντες, id est, *Septem quidem sunt quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes.* [Sed de Septem hisce Angelis fusiùs disseruit Autor in peculiari discrib. in Zach. 4. 10.]

* Dan. 10. 13. שָׂרִים הָרִאשֹׁנִים *Principes primarii.*

V. 5. *Et à Jesu Christo.* Postponit hic Joan. Septem Spiritibus Christum, quia de Christo deinceps continuandus

tinuandus erat sermo: viz. *Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum* &c. nempe id Sacris Scriptoribus solenne est, ut id postponant, à quo volunt inchoare sequentia*. Simile videre est

* *Vide Hieron. ad* Matth. 1. 1. 2. -- *Christi, filii Davidis, filii Abraham. Abraham genuit &c.*

in Heb. 12. 23. Ubi post illa *Spiritus justorum perfectorum* reperies --- N. T. *Mediatorem Jesum & sanguinem aspersionis*, quia de sanguine Christi continuatur sermo, --- *meliora loquentem* quàm [Sanguis] *Abelis*. Videsis etiam 1 Tim. 3. 16. ubi ἀνελήφθη ἐν δόξῃ ultimo loco poni reperies. [Vide Tractatum de *Posterioribus temporibus* & *Doctrinis Dæmonum*, 1. Tim. 4. 1, 2, 3. pag. 2. & p. 32.]

Vers. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent super eum omnes tribus terræ.* [Vide Commentationes Apocalypticas ad cap. 5. pag. 11.] [Vide & Dissertat. de Mysterio conversionis S. Pauli &c.]

Vers. 13. *Vidi in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ.* id est, amictu & cinctu sacerdotali ornatum. Ità Irenæus lib. 4. c. 37. pag. 373. edit. Fevard. Confer. cap. 15. 6. & Dan. 10. 5. ubi *vir quidam* dicitur *amictus* בַּדִּים *lineis*, sed *cinctus* non circa pectus ut Sacerdos, sed *circa lumbos* seu renes. Martin Lex. *Poderes est tunica Sacerdotalis linea corpori adstricta, usque ad pedes descendens: Hæc vulgò camisia vocatur ex Isidoro* Lib. 19. 21. Legitur ποδήρης Sap. 18. 24. Syrac. 27. 8. c. 45. 11. LXX hac voce reddiderunt אפוד Exod. 28. 31. בדים Ezech. 9. 23. מחלצות Zach. 3, 4.

Vers. 15. *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox ejus tanquam vox aquarum mul-*

turum. Hæc descriptio personæ Filii Dei ex Daniele expressa est, Dan. 10. 6. *Pedes ejus quasi species æris candentis, et vox verborum ejus sicut vox multitudinis. Vox aquarum multarum* apud Joannem, & *Vox multitudinis* apud Danielem prorsus ἰσοδυναμοῦσι. Similiter cap. 19. 6. *Audivi*, inquit Joannes, *quasi vocem turbæ multæ, et sicut vocem aquarum multarum* &c. [Vide Comment. Apocal. ad cap. 14. 2. pag. 223.]

Cap. 2. vers. 7. *Qui vicerit, dabo ei edere de arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei.* Vid. infrà annot. ad cap. 22. 2.

Vers. 9. *Novi blasphemiam eorum qui dicunt se Judæos esse, & non sunt — sed mentiuntur*, cap. 3. 9. Per Pseudojudæos hîc intelligendi sunt Pseudochristiani: scil. in Apocalypsi passim observare licet, *Judæos* sive Synagogam Israeliticam personam veræ Christi Ecclesiæ ex Gentibus surrogatæ sustinere: (Confer cap. 7. ubi Coetus Ecclesiæ Christianæ exhibetur typo CXLIIII M *ex omnibus tribubus Israelis signatorum*) *Gentes* contrà typum Idololatrarum ejusdemq; Ecclesiæ hostium: totâ nimirum parabolâ ex statu rerum sub Veteri Test. mutuatâ, in quo veri Dei cultus apud unum Israelem viguit; Gentes verò reliquæ Idolis & Deastris in universum inservierint. Hinc fit, ut ab isto typo *signatorum ex omnibus tribubus Israelis* abjiciantur *Dan*, tacetur *Ephraim*, tanquam idololatriæ Israeliticæ * antesignani, iidémque tempore Regni publicorum idolorum Danæ & Bethele hospites, proindéque religionis purioris cultoribus figurandis omnino inepti.

* Judic. c. 17. & c. 18.

Vers. 26, 27. *Qui vicerit* &c. — *dabo ei potestatem in Gentes, Et reget eas virgâ ferreâ* &c.

[Vide

[Vide Comment. Apocal. ad cap. 12. 5. pag. 166, 167.]

Cap. 3,4. Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα. Hîc & Act. 1. 15. ὀνόματα *nomina* sunt capita hominum, seu singuli homines: alibi hoc vocabulum aliâ atque aliâ significatione adhibetur. Plura vide in Comment. Apocal. ad cap. 11. 13. *Et occisa sunt in terræmotu* ὀνόματα ἀνθρώπων *nomina hominum septies mille.*

Vers. 5. *Hic amicietur vestimentis albis.* Vide infrà Annotat. ad cap. 7. 14.

Vers. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* [De duobus hisce thronis, *Christi* scilicet & *Patris*; Consule Tract. de *Posterioribus Temporibus* &c. pag. 55.]

Cap. 4. vers. 9, 10. Δώσουσι, πεσοῦνται, προσκυνήσουσι. *Futura* ex Hebræorum notione denotare solent actum vel *solitum*, 1 Sam. 20. 5. אשב vel *debitum*. Mal. 2. 7. ישמרו. 2 Sam. 13. 12. יעשה.

Vide Resp. ad D. Laureni Stricturas. p. 29.

Cap. 5. vers. 5. Ἡ ῥίζα Δαβίδ. Et cap. 22. 16. ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ, id est, ὁ ὢν ἐκ ῥίζης, ὁ ὢν ἐκ τοῦ γένους, ὁ ἀπόγονος τοῦ Δαβίδ, ῥιζοφυὴς τοῦ Δ. Vide Isai. 11. 1.

Cap. 6. vers. 9. *Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei.* Hîc & in cap. 18. 13. cap. 20. 4. ψυχὴ *cadaver* significare videtur. Sic & in V. T. ψυχὰς *animas* non tantum *Personas* denotare sed & *Cadavera*, notum est. Psal. 16. 10. Act. 2. 31. Ezech. 44. 25. apud LXX. Levit. 19. 28. & alibi.

Vers. 11. *Et data sunt singulis stolæ albæ.* Vide annot. ad cap. 7. v. 14.

Cap. 7. vers. 9. *Posthæc vidi, & ecce Turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & populis,*

pulis, & tribubus, & linguis, stantes ante Thronum, & ante Agnum, amicti vestibus albis, & palmæ in manibus eorum &c. De hac *Turba Palmifera* vide Tertullianum in Scorpiaco adversùs Gnosticos, cap. 12. ---*Nam & rursus Innumera multitudo albati & palmis victoriæ insignes revelantur scilicet de* ANTICHRISTO TRIUMPHALES: *sicut unus ex presbyteris, Hi sunt qui veniunt ex illa pressura magna* &c.

Vers. 14. *Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna* [id est, de tyrannide Bestiæ Sanctos tribulantis] *Et lavârunt vestes suas & dealbârunt* &c. Et v. 17. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Hisce facem allucebit illud * Achmetis cap. 231. ex Indorum disciplina. *Siquis ablutis sordibus vestes mundas induisse sibi visus fuerit; omni adflictione, solicitudine, morbo liberabitur: próque modo loturæ & ipsarum vestium splendoris, gaudio potietur.* Item cap. 232. *Siquis visus sibi fuerit induisse vestes albas et mundas; pro munditiei et albedinis modo, ab omni dolore repurgatur.*

* *Quid sentiendum sit de Onirocriticis hisce Vide Comment. Apoc. p. 45.*

Vers. 15. De istis qui stolis albis amiciebantur, dicitur *Ideo sunt ante Thronum Dei, et colunt eum die ac nocte in Templo ejus*, putà ut Sacerdotes. Respicitur mos Judæorum in probandis & admittendis Sacerdotibus. Vide Comment. Apoc. in cap. 6. 11. & Maiemonidem in Mischne lib. 8. tit. Biath hammikdasch. cap. 6. Adde, Talmudis Babylonici cod. Middoth. cap. 5. לשכת הגזית בה היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהונה וכהן שנמצא בו פסול לובש שחורין ומתעטף שחורין ויוצא והולך לו. שלא נמצא בו פסול לובש לבנים ומתעטף לבנים נכנס ומשמש עם אחיו הכהנים

id

id est, *In conclavi caesi lapidis Synedrium Magnum Israelis sedebat, et judicabat sacerdotes. Sacerdos in quo inveniretur vitium, induebat nigras vestes, ac nigris involvebat se, adeóqe egressus abibat: Cui verò non inerat vitium, induebat albas vestes, ac albis se involvebat, et ingressus ministrabat cum sacerdotibus fratribus suis.*

Cap. 11. v. 15. *Et septimus Angelus clanxit.* Cùm *septem* sacerdotes urbem Jericho *septem* diebus circumiissent portantes buccinas arietinas, diéque *septimo septem* vicibus, corruit murus ejus, Josh. 6. sic & ad clangorem Tubæ *septimæ*, penitùs abolebitur quicquid Bestiæ supersit. Ut Phiala *septima* consummationis phiala est, proindéque effusâ hâc phialâ, *prodit vox magna è Throno dicens,* Γέγονε, cap. 16, 17. & Babylon funditús excinditur, v. 19. Ità & Tuba *septima* consummationis Tuba est; quare ad hujus Tubæ clangorem in cœlo acclamatum est, *Facta sunt Regna hujus mundi Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in secula seculorum.* Desumpta sunt ex Dan. 7. Idémqe omnino est Regnum quod Danieli ostensum à fine Monarchiarum futurum. Huc pertinet Prophetia Isaiæ, cap. 45. 23. *Per me juravi, &c, qòd mihi curvabitur omne genu, jurabit omnis lingua,* nempe *in magno illo die Judicii,* autore Apostolo ad Rom. 14. 11 Unde necesse est (si Apostolo fides) reliquam prophetiam de gloria Israelis, indè à versu 14. ad idem tempus pertinere; viz. ad secundum Christi adventum.

V. 18. Καὶ τὰ ἔθνη ὠργίσθησαν. *Et iratæ sunt Gentes.* Exod. 15. 14. in Epinicio, ἤκουσαν ἔθνη καὶ ὠργίσθησαν. Vide suprà annotat. ad c. 2. 7. *Venit tempus mortuorum, ut judicentur,* id est, Tempus ut judicetur causa Martyrum occisorum propter nomen Jesu. Apoc. 14.

οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες, *Martyres* sunt Tertulliano lib. de Animâ, c. 55.

V. 19. *Tunc apertum est Templum Dei in cœlo*, καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης, &c. *Et visa est Arca Fœderis*, &c. Annon Reseratio illa Templi in Cœlo, quâ ad septimæ Tubæ clangorem *Arca Fœderis* ibidem conspiciatur, sit revelatio Christi (cujus illa typus est) apparentis *in nubibus cœli, ut eum conspiciant qui transfixerunt*, Zach. 12. 10. Matth. 24. 30. Apoc. 1. 7. De quo & illud Matth. 23. *Non me videbitis ab hoc tempore, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vide Comment. Apocal. ad c. 14. p. 244.

Cap. 14. v. 20. *Et calcatus est lacus extra civitatem.* Vide infrà annot. ad cap. 19.

Cap. 15. v. 2. *Habentes* κιθάρας τοῦ Θεοῦ, *Citharas Dei*, id est, Sacras, quarum in Templo solo usus. Res enim in Templo gerebatur: scilicet victores Bestiæ dum adhuc in crepidine *Maris*, seu labri vitrei insistebant, ἐπινίκιον de Bestia superata cantillabant, habentes *citharas Dei*, i. e. sacras. Sic 1. Chron. 16. 42. כְּלֵי שִׁיר הָאֱלֹהִים *instrumenta musica Dei*, eodem planè sensu. Nam כְּלֵי שִׁיר constructa sunt quasi per Maccaph, ut 2. Chron. 7. 6. כְּלֵי־שִׁיר יְהוָה & cap. 34. 12. Vide Nehem. 12. 36. Amos 6. 5. Alioquin שִׁיר יְהוָה significat quoque canticum sacrum & in Templo cani solitum. 2. Chron. 29. 27. Psal. 137. 4.

Cap. 16. v. 10. *Et factum est regnum ejus tenebrosum.* ἐσκοτωμένη. Vide Isai. 8. 22. וְהִנֵּה צָרָה וַחֲשֵׁכָה *Ecce tribulatio & tenebræ.* Jer. 13. 16. יַחְשִׁךְ *obtenebrasset.* Targum habet, *super vos tribulatio veniet.*

Vers. 14. De Præparatione ad Prælium ultimum

(post

(post illa verba, εἰς πόλεμον τῆς ἡμέρας ἐκείνης τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος , *ad prælium Magni illius Diei Dei omnipotentis*) dicitur , Ἰδοὺ ἔρχομαι ὡς κλέπτης, *Ecce venio sicut fur* : Id qod in 2. epist. Petri c. 3. v. 10. perinde invenire est, Ἥξει ἡ ἡμέρα Κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτί. & apud Paulum in 1. Thess. 5. 2. Quare cum DIES JUDICII phialas proxime excipiat, easdemq; Regnum Sanctorum per mille annos, (nam post excisum Antichristum futurum est,) necesse est per *Diem istum*, continuatum & bene longum tempus intelligi.

CAP. 17. v. 3. *Vidi mulierem Bestiæ insidentem*, γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θηρίον, &c. Mulier Bestiæ insidens seu inequitans exponitur ab Angelo v. 18. πόλις ἡ ἔχουσα βασιλείαν. Hâc notiòne adhibetur *equitandi* verbum, Deut. 32. 13. Isai. 58. 14. Psal. 45. 5. *Prosperare & equita*, Septuag. κατευόδου καὶ βασίλευε. Chald. Par. לְמִרְכַּב עַל כּוּרְסֵי מַלְכוּתָא *ut equites super thronum regni*. scil. *equo vehi* potestatis Symbolum est, eorûmque qui rerum habenas moderantur, utì ex locis hisce manifestum est. *Vidi mulierem bestiæ inequitantem*, id est, *Romam* regno seu imperio Romano *imperantem*.

Vers. 4. *Et mulier erat amicta purpurâ & coccino, & inaurato auro & margaritis*, &c. id est, Induta erat vestibus Regiis, ornatúque Regio; quippe nequaquam ex vulgo Meretrix, sed Domina & Regina, id est, Urbs Imperatrix. Vide Esther. 8. 15. *Mardochæus ---fulgebat* בִּלְבוּשׁ מַלְכוּת *veste* vel *indumento regio, hyacinthino* viz. *& candido, coronam auream portans in capite, & amictu byssino & purpura* בוּץ וְאַרְגָּמָן. Videsis Dan. 5. 29. totum versum. *Tunc jubente Rege indu-*

indutus est Daniel purpurâ, & circundata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem Tertius in regno. Josephus Antiq. l. 10. c. 12. Publicavit daturum se ei στρεπτὸν περιαυχένιον χρύσεον, καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα φορεῖν, ὡς οἱ τῶν Χαλδαίων βασιλεῖς, *torquem aureum et purpureæ vestis usum, quali Chaldæorum Reges utuntur.* Idem videre est in 1. Maccab. 8. 15. ---διάδημα καὶ ---πορφύραν. Similiter cap. 14. 43. ---ὅπως περιβάλληται πορφύραν καὶ χρυσοφορῇ. V. 44. ---καὶ περιβάλλεσθαι πορφύραν καὶ ἐμπορπᾶσθαι πόρπην χρυσῆν. ut & in 2. Maccab. 4. 38. Et quis nescit *purpuram* quoque apud Romanos Imperatorum & Regum insigne fuisse.

Vers. 14. *Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet eos (quoniam Dominus Dominorum est, et Rex Regum) et qui cum eo sunt, Vocati, et Electi, et Fideles:* id est, Agnus, & qui cum eo sunt Vocati, Electi & Fideles, vincent decem Reges seu Cornua Bestiæ Babylonicæ. Illa enim de *Domino Dominorum et Rege Regum,* per parenthesin censeo legenda.

Vers. 16. *Decem cornua ---odio persequentur meretricem; Decem Cornua* (seu Reges) id est, aliqua ex illis. Sic cap. 9. 18. *Occisa fuit*, τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, *tertia pars hominum,* id est, qui ex tertia illa parte fuerant. Judic. 12. 7. *Sepultus est Jephte in urbibus Gilead,* hoc est, aliquâ urbium. 2. Chron. 35. 24. *Sepultus est Josias in sepulcris patrum suorum,* hoc est, uno seu aliquo sepulcrorum. Cujusmodi Ellipseos passim in sacris Scripturis occurrunt exempla: Psal. 1. 3. Zach. 9. 9. 1. Sam. 18. 21. Jon. 1. 5. Matth. 27. 44. Luc. 23. 39. Joan. 6. 45.

Vers. 18. *Mulier quem vidisti, est urbs illa magna,* &c. v. 5. *Babylon illa magna,* ut & cap. 16. 19. 18. 2. 20,

2. 10. 21. | Verſ. 1. *Meretrix illa magna*, ut & cap. 19. 2. Paſſim in hoc libro *Urbs illa magna*. cap. 11. 8. cap. 14. 8. | 16. 19. | 18. 16. | 18. 19. 21. Quocunque enim nomine ROMA appellatur, ſemper hoc titulo *Magnæ* inſignitur; Dicta eſt autem *Urbs magna* ἡ πόλις ἡ μεγάλη, non tam quantitatis intuitu, quàm quòd aliarum Urbium caput & regina eſſet, juxta id quod ſequitur, ἡ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *quæ regnum habet ſuper reges terræ*. Apud Athenæum Roma dicitur Ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, & paulò pòſt Οὐρανόπολις. *Urbs cœleſtis, Totius Orbis compendium*; Vide Athen. lib. 1. Ἐπιλείποι δ' ἄν με ἡ ἡμέρα μία, ἐξαριθμούμενον τὰς ἐν τῇ Ῥωμαίων οὐρανοπόλει Ῥώμῃ ἀριθμουμένας πόλεις· ἀλλὰ πάσας αἱ κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἀριθμούμεναι, διὰ τὸ πλῆθος· id eſt, *Recenſere me conantem quot urbes intra Roma, Urbis illius cœleſtis, ambitum contineantur, ob earum multitudinem non unica dies tantùm deficeret, ſed quotquot annum conficiunt*. Vide Caſaub. in locum. Ex hiſce, aliiſq; Romæ appellationibus, [viz. apud Cic. *Lux orbis terrarũ*. Mart. Heracl. Ἄστυ τι κοινὸν τῆς ὅλης Οἰκουμένης. Jul. Front. *Regina & Domina orbis terrarum* &c.] videre eſt quàm meritò dicatur *Urbs illa magna*, utpote *quæ regnum habet ſuper reges terræ*.

CAP. 18. Verſ. 2, 3. Ἔπεσεν --- Ἔπεσεν Βαβυλὼν ἡ --- Præco olim edebat cauſam ſupplicii. Inter cædendum, præconem cauſam dicere ſolenne fuit. Vide quæ Pontanus part. 3. p. 183. ex Cujacio habet atque ex Ambroſio, Petronio, Suida, Platone, Joſepho.

Cecidit, Cecidit Babylon illa magna &c. [De duplici BABYLONIS interitu, vide Comment. Apocal. ad cap. 11. p. 155, 156.]

Placita Doctorum Hebræorum

De BABYLONIS ſeu ROMÆ Excidio.

ESa. 21. 11. מַשָּׂא דּוּמָה הִיא אֱדוֹם inquit R. Solomon Jarchi. משא רומא inquit R. D. Kimchi, (*quæ verba Pontificii omittenda curârunt.*) Idem Hieronymus in hunc locum, & in Prophetam Abdiam annotavit.

In Eſa. 34. 16. Kimchi; *Dixit* QUÆRITE *reſpectu illius viri qui Romæ excidium videre ac intelligere cupit,* אומר כנגר מי שיראה בחרבן רומי דִּרְשׁוּ Iſtas duas voces [בחרבן רומי] Romani editores omiſerunt, ſenſu imperfecto relicto; Et *quater* in eodem capite pro voce אדום (quâ *Romam* deſignant Rabbini) ſubſtituitur יון כותית id eſt, *Græcia, Cuthith*, in Commentariis Kimchi & Jarchi.

Eſa. 34. 9. יתהפכון נחלהא דרומי לזפתא *Mutabuntur torrentes Romæ in picem.* Kimchi hanc expoſitionem Chaldaicam citat & approbat. A Pontificiis tamen editoribus omittitur nomen *Roma*, & locus relinquitur ſine ſenſu.

Ex Rabbinorum Commentariis in Eſa. c. 34. & c. 35. *Romæ* nomen *bis* obliterârunt, & pro *Edom* nomen *Pares*, *Javan* & *Cuthith* ſubſtituerunt *quindecies.*

Numb. 24. 24. Targum Onkelos: *Et naves venientes* מֵרוֹמָאֵי *à Romanis.* Targum Hieroſolym. *Legiones multæ* מן דרומאי *à Romanis.* Sed Pontificii Correctores hîc ſubſtituendum curârunt כִּתָּאֵי.

Ex Kimchio in Abdiam, Nomen *Roma*, ſæpiùs deletur: & integra hæc ſententia, עם חרבן ארום תהיה תשועת ישראל id eſt, *Cùm devaſtabitur Roma, erit Iſraeli Redemptio.* Præceſſit autem in Kimchio, מה שאמרו הנביאים בחרבן ארום באחרית הימים על רומי אמרו id eſt, *Quicquid dixerunt Prophetæ de deſtructione Edom in poſtremis temporibus, de Roma dixerunt.*

David Kimchi in Eſa. 24. פרשה זו עתידה על חרבן ארום ואחר כן זכר תשועה ישראל id eſt, *Iſta Sectio de futuro eſt, agitque de Excidio Edom, & poſtea Iſraelis ſalutis meminit.* Quid verò per *Edom* intelligat, oſtendit in v. 16, ſcribens, *Quicunque reſpiciet in deſtructionem Romæ* [בחרבן רומי] (quæ verba à Pontificiis editoribus deleta ſunt) *inquirat per totum Jehovæ librum.*

R. Abraham Sebah in Gen. 1. ait, *Currente Sexto annorum mundi millenario* ROMAM *evertendam, & Judæos reducendos.*

Targum ad Thren. c. 4. v. 22. *Et poſtea* (poſtquam) *complebitur iniquitas tua cætus Sion, &* (tum) *liberaberis per manum Meſſiæ & Eliæ ſacerdotis magni; & non addet ultra Dominus, ut tranſmigrare faciat te: & in tempore illo viſitabo iniquitatem tuam, Roma, quæ ædificata es in Italia, & plena turmis de filiis Edom, & venient Perſæ* פרסאי *& anguſtiabunt te* &c. פרשאי *Equites* ſcribendum, non *Perſæ.*

Idem ad c. 1. v. 22. *Ingrediatur in Die Judicii Magni omne malum eorum* [Gentium & Inimicorum Jeruſalem] *quo malignati ſunt mihi* [Jeruſalem loquitur] *coram te, & quare occaſiones in eas, ſicut quæſiiſti occaſiones contra me propter multitudinem prævaricationum*

ricationum tuarum: quia multi sunt gemitus mei, & cor meum infirmum. Targum hoc compositum est post excidium per Romanos: Nam v. 19. mentio est *Titi* & *Vespasiani*, & *machinarum* quas extruxerunt contra Jerusalem. Imò cap. 4. 21. *Constantinopolis.*

Vers. 23. Ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη. Vox ill. φαρμακεία, *Veneficium*, & οἶνος τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας cap. 14. idem designant, viz. amatorium virus seu philtrum, seu spiritualis scortationis illecebram, ex consuetudine meretricum philtris amorem conciliantium. Sic cap. 17. 4. *Meretrix illa magna* dicitur tenere *poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditiâ scortationis suæ:* ubi allusum est ad consuetudinem meretricum, quæ in calice aureo philtra amasiis suis propinare solebant. Confer hunc locum [vers. 23.] cum cap. 14. 8.

Cap. 19. vers. 6. *Audivi quasi vocem turbæ multæ, & sicut vocem aquarum multarum* &c. Vide suprà Annot. ad cap. 1. 15.

Alleluia, quoniam regnum iniit Dominus Deus noster Omnipotens. Huc pertinet illud Esa. 45. 23. Vide Annot. ad cap. 11. 15.

Vers. 7. *Quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit seipsam.* Hæc *apparatio Sponsæ* quid aliud esse videatur, quàm illa tot seculis expectata conversio Israelis. Gentes olim & à multis seculis Christo desponsatæ fuerunt; Judæi idcircò sunt qui adhuc Agni Sponsa futuri expectantur. Certè Judæi olim (juxta Salvatoris parabolam Matth. 22.) ad nuptias Filii Regis invitati, venire recusârunt; nunc verò tandem prompti & parati accurrent, ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἡτοίμασεν ἑαυτήν.

ἑαυτῶν. Et cap. 21. 2. Ἱερουσαλὴμ καινὴν — ἡτοιμασμένην, ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Videsis Tertull. advers. Marcionem lib. 5. cap. 10. *Christus præputiati Sacerdotii Pontifex cogniturum se quandóque Circumcisionem & Abrahæ gentem, cùm ultimò advenerit, acceptatione & benedictione dignabitur.* Vid. & Justin. Mart. dial. cum Tryphone Jud. p. 259.

Vers. 8. *Byßinum enim justificationes sunt Sanctorum.* δικαιώματα *Justificationes, Justitia*, Justa facta, seu bona opera, Piscat. Per *Byßinum splendorem* * Aretas in locum intelligi vult *Virtutes*. R. D. Kimchi ad Esa. 65. 13. haud dissimili notione illud Eccles. 9. 8. interpretatur; שלמה אמר בחכמתו בכל־עת יהיו בגדיך לבנים. אלו תשובה ומעשים טובים *Solomon dixit pro sapientia sua,* IN OMNI TEMPORE CANDIDA SINT VESTIMENTA TUA, hoc est, *Resipiscentia & bona opera.*

* Τοῦ λαμπροῦ διὰ τοῦ βυσσίνου δηλωθέντος, τί ἂν ἄλλο ἐννοηθεῖν, ἢ αἱ ἀρεταί;

Atque ad istum locum Solomonis, R. S. Jarchi. התקן עצמך בכל־שעה במעשה טוב *Para* seu *orna teipsum quâvis horâ bonis operibus.* Atq; eodem sensu acceptum priscis interpretibus astruit Aben Ezra, nempe de *operibus impollutis*, שלא יהיו מגאלים.

Vers. 13. *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine*, scil. sanguine uvarum. Ex mysticis priscorum Cabalistarum propositionibus apud Jo. Picum Mirand. Galat. & Reuclinum una est, *Vestimentum Meßiæ rubebit.*

Et vocatur nomen ejus VERBUM DEI, id est, ipse est verbum illud Dei. Ex notione Hebræorum, Prophetarum præsertim, *vocari* idem quandoque valeat qod *esse* vel *existere*, sed eximio quodam modo. Sic Isai. 9. v. 5. de Christo, *Vocabitur nomen ejus Ad-*

mirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, id est, erit hæc omnia. Vide Jer. 23. 6. Zach. 6. 12. Genes. 21. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen*, id est, *erit.* Isai. 56. 7. *Domus mea Domus orationis* יִקָּרֵא *vocabitur*; pro quo Luc. 19. *Domus orationis* ἐςὶν, *est, erit, habebitur.*

Vers. 15. *Ex ore ejus prodibit gladius acutus, ut eo percuteret gentes; ipse enim reget eos virgâ ferreâ.* [Vide Comment. Apocal. ad cap. 12. v. 5. pag. 166. 167.]

Is est qui calcat torcular vini furoris Dei Omnipotentis. Calcatio vindemialis in Scriptura parabolica cladem atrocem & cruentam denotat. Sic & *Messis* nomen stragem & excidium. Jer. 51. 33. Joelis 3. 13. * [Vide Comment. Apocal. ad cap. 14. v. 15, 16, 17, 18, 19.]

*Isai. 63. 3. Thren. 1. 15. Targum. *ecce.*

Cap. 20. *Et* Sancti *vixerunt & regnârunt cum Christo mille annis.* Aliud est Regnum quo Christus in sanctis suis regnat, aliud quo sancti regnant cum Christo. Illud enim toto Bestiæ tempore fuit; hoc nequaquam. Verum quidem est Christum jam indè à primo suo adventu regnum inchoâsse, illúdque regnum Ecclesiam esse. Interim & illud haud minùs certum est, regnum aliquod in Scripturis promitti Adventûs secundi proprium, quod & regnum κατ' ἐξοχὴν dicitur, adhúcque implendum superest: ut Dan. 7. 14. Luc. 19. 11, 15. Luc. 21. 31. 2. Thess. 1. 5. 2. Tim. 4. 1. Vide Authorem Quæst & respons. ad Orthod. apud Justinum Mart. qu. 120. Βασιλείαν Θεοῦ οἶδεν ἡ γραφὴ ὀνομάζειν, οὐ τὴν ἀνάστασιν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀποκατάστασιν, ἐν ᾗ γίνεται κολαζομένων τε καὶ δοξαζομένων ἡ διαίρεσις.

Vers. 6. Δεύτερος θάνατος, Hæc *mortis secunda* nomen-

menclatura non à Joanne primùm usurpata, sed ex Magistrorum Judaicorum usu desumpta est: sic nimirum ab illis dicta, quòd eâ impii, qui à mortuis resurrexerint, quasi secundò morituri sint. In hoc libro quater occurrit δεύτερος θάνατος, cap. 2. 11. hoc cap. 20. 6, 14. c. 21. 8. Apud Chaldæum Paraphr. sæpius habetur מוֹתָא תִּנְיָנָא *mors secunda*. Deut. 33. 6. *Vivat Reuben, & non moriatur*, Chal. Paraph. addit מותא תנינא *morte secundâ*. Psal. 49. 11. *Quia videt* חֲכָמִים יָמוּתוּ *quòd sapientes moriantur*; Chald. Par. *Quoniam videbit sapientes improbos, qui moriuntur* מיתותא תניינא *morte secundâ, & adjudicantur Gehennæ*. Isai. 65. 6. pro וְשִׁלַּמְתִּי עַל חֵיקָם *& rependam in sinum eorum*, Chald. Par. substituit *& tradam* למותא תנינא *morti secundæ corpora eorum*. Eodem cap. v. 15. *Occidet te*, Targum addit מותא תנינא *morte secundâ*. Jer. 51. 39, 57. pro וְיָשְׁנוּ שְׁנַת עוֹלָם *& dormiant somnum sempiternum*, Chald. Par. habet, *& morientur* מותא תנינא *morte secundâ*. Idem in Isai. 22. 14.

Vers. 9. Καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, τὸν Γὼγ καὶ Μαγὼγ, &c. [Videsis Conjecturam de *Gogo* & *Magogo*.]

Vers. 15. Ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός. Alibi θεῖον additur, ut cap. 19. 20. εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν τῷ θείῳ· cap. 21. 8. ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ. Respicit locum Sodomiticum seu Asphaltitem tanquam ignis æterni figuram gerentem. Judæ v. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates*, &c. *factæ sunt exemplum*, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι, *ignis æterni pœnam sustinentes*, potiùs, *ignis æterni similitudinem seu imaginem sustinentes*. Nam solet δίκην significare

ficare *instar, more*. Cùmq; Roma sit *Sodoma spiritualis*, cap. 11. Similiter atqe illa in *lacum ignis & sulphuris* conjicienda est, cap. 19. 20. Videtur & cap. 21. 8. ad Sodomæ peccata respici, δειλοῖς δὲ καὶ ἀπίστοις καὶ ἐβδελυγμένοις καὶ φονεῦσι καὶ πόρνοις —— Τὸ μέρος αὐτῶν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρὶ καὶ θείῳ. Confer 2. Pet. 2. ver. 6. cum vers. 9. ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν —— οἶδε Κύριος —— ἀδίκους εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν. De Sodomæ excidio sermo est posuisse illud Deum ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν i. e. κολάσεως μελλόντων ἀσεβεῖν — *ut qui novit* ἀδίκους ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν.

Cap. 21. v. 2. *Et vidi civitatem sanctam, novam Jerusalem, &c.* Eusebius l. 3. de vita Constantini, c. 32. satis ineptè opinabatur Templum illud magnificum Servatoris à Constantino Hierosolymis extructum, fuisse καινὴν καὶ νέαν Ἱερουσαλήμ, ἣν δὴ μακροὶ λόγοι μυρία δι' ἐνθέου πνεύματος θεσπίζοντες ἀνυμνοῦσι, id est, *recentem & novam Jerusalem, Prophetarum oraculis prædicatam*, &c. Et paulò antè —— *Ad illud salutare Christi monumentum* (sepulchrum intelligit) ἡ νέα κατεσκευάζετο Ἱερουσαλὴμ ἀντιπρόσωπος τῇ πάλαι βοωμένῃ. Sed missâ hâc ineptâ opinione, Nova Jerusalem est civitas quam Abrahamum, Isaacum, & Jacobum expectâsse scribit Apostolus ad Hebræos, cap. 11. 10. Τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν, ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός. Descriptio petita est ex Isai. 54. 12. *Sternam carbunculo lapides ejus* (id est, pavimentum) *fundabo te in sapphiris, &c.* [Vide plura de nova Jerusalem in Clav. Apoc. Part. 2. Synchron. 6. & 7. & in Annot. ad cap. 19. 7.]

Vers. 8. δειλοῖς δὲ καὶ ἀπίστοις καὶ ἐβδελυγμένοις, &c. Vide suprà Annot. ad vers. 15. cap. 20.

Vers. 10. *Et ostendit mihi civitatem MAGNAM,*

sanctam

ſanctam JERUSALEM. Videſis ſuprà Annot. ad cap. 17. 18. de *BABYLONE MAGNA.* In tota Apocalypſi, nulli præter *Babylonem* ſeu *Romam* urbi *titulus iſte tribuitur, niſi, demum poſt excidium Babylonis, *novæ* iſti *Jeruſalem de cœlo deſcenſæ, in cujus lumine* deinceps *ambularent Gentes.*

* *Civitas magna.*

Verſ. 14. ---*Nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* [De numero *Duodenario* vide Comment. Apocal. ad cap. 7. pag. 56, 57. ad cap. 13. pag. 215, 216, 218.]

Verſ. 24. Καὶ τὰ ἔθνη σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι, &c. Σώζω & διασώζω apud LXX reſpondent verbo שָׂרַד *reliquus fuit, ſuperſtes fuit*, adeò ut non niſi tribus in locis aliter reddatur. Τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων, ſunt illi ex Gentilium relliquiis, quos *Diluvium ignis* non inundaverit. Vide Iſai. 66. 19. *Et mittam ex iis qui ſalvati fuerint* (פְּלִיטִים σεσωσμένους) *ad gentes Tarſhiſh & Pul--- & annuntiabunt gloriam meam in Gentibus.* Intelliguntur utrobique, ni fallor, Qui cladem illam in Chriſti ἐπιφανείᾳ futuram evaſerint, quando venturus eſt ad hoſtes Eccleſiæ ſuæ perdendos. Iſai. 45. 20. *Congregamini & venite, & accedite ſimul qui ſalvati eſtis ex Gentibus* [פְּלִיטֵי הַגּוֹיִם LXX Σωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν.] Agitur de univerſali vocatione Gentium, ut apparet ex v. 22. *Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ: Quia ego Deus, & non eſt alius.* v. 23. *Mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*, &c.

Verſ. 26. Φέρουσι τὴν δόξαν, καὶ τὴν τιμὴν τῶν ἐθνῶν εἰς αὐτήν. ſcil. in novam Jeruſalem. τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν, *gloriam & honorem*, i. e. opes & divitias, munus ſeu ſeu honorarium. Quâ mente eſt illud 1. Tim. 5. 17. διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, *duplici honore*, i. e. honorario *digni habeantur.*

Verſ. 27. *Faciens abominationem & mendacium.* Similiter v.8. *Idololatra & mendaces.* cap. 22.15. *Idololatra, & omnis qui amat & facit mendacium.* ſcil. omnis idololatra mendax eſt, * cùm pro Deo colat quod non eſt Deus: Unde in hiſce locis [*Idololatra & mendaces* &c.] ἐκ παραλλήλου ſeu tanquam ſynonyma poni videntur. Similiter *Idola* dicuntur *mendacia*. Vide Amos. 2. 4. *Seduxerunt eos* כִּזְבֵיהֶם *mendacia ipſorum:* Vulgat. *idola.* Confer. Iſai. 28. 15. Jerem. 16. 19. &c.

* Rom. 1. 25. *Commutârunt veritatem Dei in mendacium, &c.*

Cap. 22. v. 2. Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, ξύλον ζωῆς, &c. Nequaquam videtur * πλατεῖα hoc loco pro civitatis *foro* ſumi, utpote in quo arbores plantari non poterant, cùm ex auro ſolido fuiſſe dicatur. cap. 21. v. 21. At in hujus πλατείας medio ξύλον ζωῆς ποιοῦν καρποὺς δώδεκα naſcitur. Cap. 2. 7. mentio fit τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ὃ ἐστὶν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. Ergò neceſſe eſt, ſi huc ſpectet deſcriptio, τὴν πλατεῖαν, de qua hîc ſermo, eſſe ipſum Paradiſum, utpote in cujus quoque medio eſſe dicitur ξύλον ζωῆς, *arbor vitæ.* Sin hoc fuerit; πλατεῖα pro *alveo fluminis* (uti Prov. 8. 26. חוצות, *flumina* Targum & Vulg. & Prov. 5. 16. בָּרְחֹבוֹת LXX εἰς πλατείας, Vulg. *in plateis aquas tuas divide*) ſumi nequit, quin potiùs pro *patente* ſeu *lato* quodam *ſpatio* quod fluvius utrinque ambiret. Cúmque *unius* tantùm *arboris* ſit mentio, dici non poteſt eam tum in medio tum utrinque ad fluminis ripam creſcere, ſed duntaxat in medio πλατείας. Ut ſenſus ſit, Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ, ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, ξύλον ζωῆς. *In medio planitiei ipſius, fluviique planitiem utrinque alluentis ſeu præterlabentis arbor vitæ,* &c. Fuit enim Paradiſus quoque Edenis

*Vide Comment. Apocal. pag. 141, 142, 143.

plani-

planities, hinc Euphrate illinc Tigri intercepta : Vel, *In medio planitiei flumine utrinque intercepta , Arbor vitæ* &c.

Πλατείας αὐτῆς. & verſ. 3. Θρόνος--- τοῦ ἀρνίου ἐν αὐτῇ] Quid ſi hîc genus fœmininum [αὐτῆς & αὐτῇ] uſurpetur abſolutè? Sic Hebræis ſolet, ut neutrum Latinis. ut Pſal. 27. 4. Pſal. 118. 23. Hinc & Matth. 23. 42. αὕτη & θαυμαστή. Vel quid ſi αὐτῆς & αὐτῇ referantur ad intellectum, & ſubintelligatur χώρα vel iſtiuſmodi? Hujuſmodi Enallagen obſervat Buxtorfius Theſ. Gram. pag. 414. ubi etiam commodè affert exemplum de Paradiſo terreſtri, Gen 2. 15. בְּגַן עֵדֶן לְעָבְדָהּ, ſenſu congruit, inquit, pronomen הּ, non cum antecedente maſculino גן, ſed ſynonymo גִּנָּה, quod fœmininum. Ego potiùs ſenſu ad אֲדָמָה referrem, quia ſuprà dicebatur v. 5. וְאָדָם אַיִן לַעֲבֹד אֶת הָאֲדָמָה. Ità c. 4. 2. & 11. Vel αὐτῆς ſumi poteſt demonſtrativè, non relativè, ut ſit Ἐν μέσῳ πλατείας αὐτῆς. *In medio ipſius plateæ.* Sic αὐτῆς ſumitur Matth. 3. 4. Rom. 8. 21. Ξύλον ζωῆς, *Arbor vitæ.* De Paradiſo immortalitatis etiam mentio in lib. 4. Eſdræ cap. 7. 53. *Quid prodeſt nobis, ſi promiſſum eſt nobis immortale tempus: nos autem mortalia opera egimus? --Et quoniam repoſita ſunt nobis habitacula ſanitatis & ſecuritatis: nos verò malè converſati ſumus--- Et quoniam oſtendetur Paradiſus, cujus fructus incorruptus perſeverat, in quo eſt ſecuritas & medela: Nos verò non ingrediemur* &c. Simile eſt hîc in Apocalypſi de *medela,* cùm dicitur verſ. 2. *Et folia ligni* εἰς θεραπείαν *ad medelam Gentium,* Ad *ſecuritatem* pertinet illud.

Verſ. 3. *Et omne maledictum non erit ampliùs.* Adde Eccleſiaſtic. c. 19. v. 18. Γνῶσις ἐντολῶν Κυρίου, παιδεία

 ζωῆς.

ζωῆς· οἱ ϗ ποιοῦντες τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ, [illegible] δένδρον [id est, ξύλον ζωῆς] καρπώσονται. Vulgatus non habet.

Verſ. 16. Ἡ ῥίζα ϗ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ. Vide annotat. ad cap. 5. verſ. 5.

Verſ. 20. Ἔρχομαι ταχύ, *Venio citó.* Eadem locutio quæ ſuprà verſ. 7. & 12. cap. 3. 11. cap. 2. 5. 16. Similiter ἔρχομαι ὡς κλέπτης, de phiala ſeptima, cap. 16. 15. vid. Luc. 18. 28. ἐν τάχει. id eſt, *feſtinanter.* LXX reddunt σπουδῇ. Zeph. 1. 18. Dan. 6. 19. ἐν σπουδῇ ἦλθεν. Deut. 16. 3. Σπουδὴ nihil aliud quàm *feſtinatio.* LXX Thren. 4. 6. רֶגַע *momentum vertunt* σπουδήν. Ναὶ, ἔρχομαι ταχύ· Ἰδοὺ, ἔρχομαι ταχύ. *Etiam venio citò, Ecce venio citò,* Vulg. in verſ. 5. *velociter.* Benjamin Tudelenſis pag. 129. de Judæis in Germania degentibus; *Si hoſpes accedat, eo delectantur, eique convivium dant, dicentes, Lætamini fratres noſtri* ישועת השם כהרף עין, *Nam Dei ſalus ictum oculi celeritate æquabit.*

ἈΝΤΊΣΤΟΙΧΑ ΒΑΣΙΛΙΚΆ

Regnum Decacorne Apoſtaticum.	*Regnum Sanctorum.*
Pſeudopropheta Ἀρνοειδής	*Chriſtus Agnus verus.*
Babylon Meretrix. *Scortum Pſeudoprophetæ.* *Metropolis Regni* Ἀποστασίας. *quacum fornicantur Reges terræ.*	*Nova Hieruſalem.* *Sponſa Agni.* *Metropolis Regni Sanctorum.* *in cujus lumine ambulabunt Gentes.*

FINIS.

243218

JOSEPHI MEDI

Cantabrigiensis

Responsio Epistolaris

ad Animadversiones

LUDOVICI DE DIEU

In Clav. & Comment. Apocalyp.

Reverende & Clarissime Vir;

QUas mecum communicavit Nobilissimus & amplissimus Eques, mihíque amicissimus D^s. G. B. animadversiones tuas in *Clavem* meam, *Commentationésque Apocalypticas*; adeò mihi gratæ, acceptæque fuerunt, ut diutiùs ferendum non putaverim, nullum te earum exemplar mancupio possidere. Mitto igitur hoc quod vides honoris & amicitiæ pignus; quod tametsi tardiusculum sit, (tantam enim fore apud vos exemplarium penuriam nunquam suspicatus sum) Spero tamen te nihilominus pro humanitate tua non dedignaturum.

Ego sanè ex eruditissimis animadversionibus tuis profecisse me non diffitebor; imprimis ex eo quod mones de verbis istis cap.4.6. ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου, καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου, non per ἓν διὰ δυοῖν, ut ego volebam, verùm rectiùs κατὰ πόδα intelligendis. Lectis enim quæ ex Ezechiele ibi doctè annotâsti, inopinato lumine mentē meam perfundi sensi, statímq; in eam sententiam concessisse.

Sellam

Ità quoque ex Apocalypsi constat ad septimæ, id est, ultimæ tubæ clangorem permansurum Antichristum; quâ semel clangente, *fiunt voces in cælo magnæ, Facta sunt Regna mundi, Domini nostri & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum:* id quod Angelus his verbis paulò antè prædixerat clangente tubâ septimâ, *consummatum iri Mysterium Dei, sicut annunciavit servis suis Prophetis,* cap. 10. v. 6. cum cap. 11. v. 15. At verò Antichristus exoriturus erat ex Imperio Romano, ejúsque pars futura. Paul. 2. Thess. c. 2. v. 7. *Jam peragitur Mysterium Iniquitatis, tantùm qui nunc detinet* [detinebit] *usquedum è medio sublatus fuerit* (id est, Romæ Imperator) *& tunc revelabitur Sceleratus ille.* Et Joannes apertissimè Apoc. c. 16. affirmat futurum *Antichristum* unum ex septem capitibus septicipitis Bestiæ, cui Urbs illa magna insidebat, quæ (Joannis scilicet ævo) *Regnum habebat super Reges terræ.* Si jam *Urbs* illa *Roma* sit, *Bestiáq;* ista *Romanum Regnum,* quod apud omnes, (credo) saltem veteres, in confesso est, erit tunc Antichristus, utpote caput istius Bestiæ postremum, pars Regni Romani; Ergóque Regnum *Romanum* durabit ad consummationem Regni Christi, quò præter hoc nullum, quod in Serie Danielis successionem habere potest, pertinget unquam. Id quod sole meridiano clarius est. Imò (ut hoc tanquam superpondium adjiciam) *Antichristus* iste Novi Testamenti, ipsissimum est *Cornu monstrosum* Danielis, penes quod ut Ille ultimam quartæ suæ Bestiæ Dynastiam prædixit futuram; Ità quoque Joannes sub Antichristo suo sive Pseudopropherâ ultimam Regni Romani Scenam peragendam esse. Quódque de cornu suo prodigioso Daniel, *Gerebat bellum*

bellum cum Sanctis & prævalebat iis cap. 7. verſ. 21. Idem Joannes de ſuo Monſtro, *Datum eſt ei* (inquit) *bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere*, Apoc. cap. 13. verſ. 7. Daniel cornu ſuo attribuit *Os loquens GRANDIA*, & quòd *verba adversùs Excelſum loqueretur, & Sanctos ejus contereret*. cap. 7. verſ. 8, 11, 20, 25. Idipſum Joannes de ſuo *perdito* refert. *Datum eſt ei os loquens magna & Blaſphemias, & aperuit os ſuum ad Blaſphemandum adversùs Deum, ut conviciis afficeret Tabernaculum ejus, & eos, qui in cælo habitant* cap. 13. verſ. 5, 6. Ex ungue Leonem, quod dici ſolet. Neque mores tantùm, ſed & tempus Tyrannidis ad amuſſim convenit. Quod enim Daniel de *Cornu* portentoſo, *Tradentur* (inquit) *Sancti in manum ejus, uſque ad tempus, tempora, & dimidium temporis:* Verſ. 25. Idipſum Joannes de *ſanato* iſto & *redivivo* Beſtiæ Romanæ *Capite*. *Data eſt* (inquit) *illi poteſtas agendi* (ſeu ut nonnulla exemplaria habent, *bellum gerendi*) *menſes quadraginta duos* verſ. 5, cap. 13. An non menſes XLII ſunt tres anni cum dimidio, id eſt, Tempus, tempora, & dimidium temporis? Ecce autem capite præcedente verſ. 14, non rem tantùm ſed & ipſa verba Danielis. *Mulier* (inquit) id eſt Eccleſia, regnante Antichriſto fugit à conſpectu Serpentis in deſertum, ubi aleretur per *tempus, tempora, & dimidium temporis*.

Idem ergo prorſus eſt Danielicæ Beſtiæ *cornu prodigioſum* cum *Antichriſto* Joannis in Apocalypſi. Et quoniam utrumque duraturum ſit ad conſummationem Regni Chriſti, ſequitur Regnum Romanum, cujus pars poſtrema eſt Antichriſtus, eſſe ipſiſſimum quartum Regnum Danielis, cujus itidem pars extre-

ma est illa prodigiosi Cornu Dynastia. Frustra enim sunt qui *Cornu* istud aliud à *Bestia*, è cujus capite enascitur & pars est, Regnum esse volunt. *Cornua* enim *potestates* tantùm, *Bestiæ* verò *Regna* distinguunt.

Argum. III.

Quod occupavit Regnum Tertium, eidémque successit; est quartum Regnum Danielis:
At Regnum Romanum occupavit Regnum Tertium, (nempe Græcorum) eidémque successit:

ERGO.

De Majore nullus dubitandi locus, quin illud quartum fuerit, quod tertium proximè secutum est, eidémque successerit. De Minore itidem patet ex Historia, Quicquid eousque restabat de ditione Regni Græcorum, id omne Romanis armis & Imperio cessisse. Prædixerat autem Daniel Regnum Græcorum à primi Regis Alexandri morte finibus suis diminutum iri, neque eâ ditionis amplitudine Regnaturos successores ejus atque ipse iis reliquerat. Verba sunt cap. 8. v. 22. *Effracto Hirci cornu magno*, qui eodem interprete est *primus Rex Græciæ, quatuor Cornua pro illo*, hoc est, inquit, *quatuor Regna ex [ea] gente assurrectura sunt; sed non cum robore illius.* Item cap. 11. v. 4. *Frangetur Regnum ejus*, (nempe Regis Potentis Alexandri) *& dividetur in quatuor partes cæli, sed non posteritati ejus, neque secundùm Dominatum ejus, quo dominatus fuerat.* Et hoc innuere volebam, eò quòd dixi,

dixi, quicquid eousque restabat de ditione Regni Græcorum: Nequis fortè (quod non neminem fecisse scio) requirat ut ad Indos usque propagetur Imperium Romanum, quartum Regnum alioquin non futurum.

Illa autem Regni Græcorum per Romanos occupatio ineunda est à morte Antiochi Epiphanis, quando Perseo ultimo Rege Macedonum ab Æmylio Consule devicto, Macedonia primarium Regni Græcanici caput in Provinciam redacta est, atque ità cum reliqua ferè Græcia in Imperii Romani Jura concessit: nec indè quieverunt Romani, donec continuis quasi victoriis usi reliqua sive *capita* sive *cornua* penitus subegerant. Ab hac igitur Græciæ occupatione putandum est initium Regni quarti, non ab ultima, quæ Ægypti fuit, devictâ Cleopatrâ. Nam ubi Regnum Græcanicum primum exortum est, ibi fatum quoque suum & excidium accepisse æquum est existimare. Unde videmus Prophetam nusquam Regnum Græcorum, quamvìs de Regibus ejus sigillatim egerat, ultra Antiochum Epiphanem produxisse: Quia nimirum ab eo tempore Romanus ordinem suum capessebat in Quaternione Prophetico, atque idcirco qui secuti sunt Asiæ aut Ægypti Reges, eorum rationem in hac Regia Chronologia deinceps non habendam esse. Imò, quod observari volo in ipsô Prophetæ textu, Tyrannis Antiochi expresse statuitur in fine Regni Græcorum. c. 8. v. 23. בְּאַחֲרִית מַלְכוּתָם *In fine Regni ipsorum* (id est Græcorum) *exurget Rex durus facie, & intelligens ænigmata*, &c. Is scilicet, de quo in visione dicit, quòd *usque ad Principem exercitûs cœlestis magnificaret se, & jugem cultum tolleret &*

Vide Lactant. lib. 7. cap. 15. sublatâ Carthagine &c.

& abjiceret habitaculum Sanctuarii illius, &c. v. 11.

Et hucusque quidem Argumentum hoc mihi optimè processit, nec usquam impingere visum est: Non est tamen diffitendum habuisse olim Porphyrium, & habere etiam, qui nostro primùm ævo contra totius Ecclesiæ indè ab initio per tot secula consensum, opinionem Porphyrianam ab inferis revocârunt, quod disputationi huic opponant: Græcorum nimirum Regnum non unum sed duo esse Regna, Alterum ipsius Alexandri, quod tertium est in Quaternione prophetico: Alterum successorum ejus, quod quartum est & ultimum Regnum Danielis. Regnum igitur Romanum, tanquam fabulâ jam transactâ superveniens, ab hoc numero penitus excludendum esse.

Contra hanc interpretationem sic insurgo. Quod unicâ Bestiâ adumbratum est, id unicum est Regnum, non duo Regna, scilicet alioquin unica Bestia esset duæ Bestiæ; quod ab omni ratione alienum est. Jam verò omne Regnum Græcorum tam Alexandri quàm successorum ejus unicâ Bestiâ adumbratur. Ergò &c. Minorem leges apud Danielem cap. 8. vers. 20, 21, 22. *Aries* (inquit Angelus) *bicornis quem vidisti, sunt Reges Mediæ & Persiæ: Hircus autem ille villosus est Rex Græciæ; cornu autem magnum interjectum oculis ejus est Rex* PRIMUS. (Audin' hîc Regem primum? at Rex primus & Reges secundi non de diversis dici possunt Regnis, sed uno eodémque) pergit, Atque hoc effracto quòd *consurgent quatuor pro illo, quatuor Regna ex gente sunt assurrectura, sed non cum robore illius.* Hic clarissimum est Alexandrum cum successoribus suis fuisse unius ejusdémque *Hirci cornua:* Ideóque unius Regni *potestates.* Ecquis jam

jam dixerit Beſtiam & cornua ejus eſſe duas Beſtias? Me judice ipſe merebitur illis annumerari, nè tertia deſit Beſtia.

At inquient, potuit Propheta aut Spiritus Sanctus, quod hîc unum facit Regnum, ideóque unâ figurat Beſtiâ, alibi tamen pro arbitrio duo facere, & duabus adumbrare Beſtiis. Sed reſpondeo, non arbitrii res eſt, ſed veritatis, ut unum ſit duo & duo unum: neque Deus poteſt efficere ut cornu cornu ſit & nihilominus Beſtia. Unitas Regni in ipſa rei veritate poſita eſt, à ſigno non pendet. Si igitur hoc verum eſt unicum eſſe Regnum, & non duo, tum falſum erit duo eſſe Regna & non unum; ut qui alterutrum affirmaverit, alterum ſine mendacio affirmare nequit. Et quorſum quæſo Prophetia, quæ duo in principio Regna repræſentâſſet, poſtea in unum confunderet? Nam ſi omnino id factum fuiſſet, non ſine ratione factum fuiſſe, credendum eſt. Taceo quòd in ipſa quatuor Beſtiarum viſione, quò adverſarii dum effugium parant reſpiciunt, Tertia Beſtia Pardo ſimilis, quæ ipſis fatentibus ad Regnum Græcorum aliquatenus pertinet, & alas quatuor in dorſo habet, itémque capita quatuor, quæ, quid (quæſo) aliud ſunt, ſaltem capita, quàm quatuor Regni iſtius Satrapiæ, in quas poſt mortem primi Regis diſſipatum erat? Num hîc quoque dicere audent, quatuor Pardi capita eſſe aliam & diverſam à Pardo Beſtiam? Cap. 7.

His denique omnibus illud tanquam Palmarium adjungam, quod jam in ſuperioribus demonſtravi, nimirum quarto Regno adhuc ſuperſtite, exoriturum eſſe Regnum Chriſti, à quo tandem in pedibus ſuis fictilibus percutiendum ſit, & penitus abolendum.

At verò quicquid erat Regni Græcorum, diu ante natum, nedum regnantem Christum, penitus est extinctum; ut ibi quoque probatum est.

Quoniam autem sententiæ hujus autores *Prodigiosum* quartæ Bestiæ *cornu* exponunt de *Antiocho Epiphane* (neque enim de ullo alio exponere potuerint, omnes licèt ingenii nervos intenderint) scire pervelim, quomodo sic visioni Propheticæ sua constabit Veritas, quæ non tantùm ex visione ipsa facilè colligitur, sed interpretatione Angeli expressè disertis verbis affirmatur; *Cornu* istud *bellum gessurum cum Sanctis, iisque prævaliturum, usquedum venerat Antiquus dierum, & judicium daretur Sanctis; & tempus veniret, quo Regnum possiderent Sancti.* Namque Antiochus iste Epiphanes mortuus est annis quatuor minùs ducentis ante passionem Christi, id est multò pluribus quàm Regnum Græcorum duraverat à morte Alexandri ad eundem Antiochum Epiphanem. Hoccine est bellum cum Sanctis gerere usquedum veniret Antiquus dierum, & regnum Sanctorum constitueret? Sed jam manum de tabulâ: & quamvìs longè plura adferri possunt, hæc tamen sufficient Quæstioni tum explicandæ tum demonstrandæ.

REVE-

REVELATIO ANTICHRISTI
Sive
De numeris DANIELIS, MCCXC, MCCCXXXV.
Cap. 12. verſ. 11, 12.

Quò ſpectent; eouſque nempe Myſterium Extremorum Temporum, ejúſque qui tunc rerum potiretur, clauſum & obſignatum fore: deinceps reſignatum iri.



T hoc adſtruam, primò ſubmovendum eſt præjudicium ſententiæ Broughtoni, Junii & ſequacium; qui hoſce Numeros calamitatis *Antiochianæ* anguſtiis includere, ejuſdémque terminos & metas, nec aliud quidquam deſignare volunt. Quod ut abſque omni contextûs fundamento faciunt (neque enim illic ſcopus iſte vel uno verbulo innuitur) ità tam manifeſtè contra hiſtoriæ, reíq; geſtæ fidem, ut mihi non exiguam admirationem habeat, tot illius ſententiæ admiratores fautoréſque hactenus reperiri potuiſſe.

Priorem enim Numerum dierum 1290. à pollutione Templi ad Diploma illud αὐτονομίας Judæis 2. Mac. xi. 27. conceſſum ſupputant. Alterum verò dierum 1335. ab eodem principio ad ipſius *Epiphanis* mortem.

Sed rem geſtam omnimodo pervertunt, & bis falluntur inſigniter, Nam primò Diploma illud datum eſt, non ab *Epiphane*, ſed ab *Eupatore* filio, poſt mortem Patris, neque, ut iſti ſtatuunt, ante mortem ejus. Vide locum Maccab. Deinde, à pollutióne Templi, neque ad Antiochi mortem, neque ad Diploma

αὐτονομίας intercesserunt plusquam triennium, & quatuor ad summum menses, id est, non ampliùs diebus 1200, quod hac ratione ostenditur.

Repurgatio Templi facta est tribus à Pollutione annis exquisitè evolutis, Anno utique Regni Græcorum 148. die 25. mensis Casleu, qui, Josepho teste (nec dubitationi locus est) respondet Apellæo Macedonum. Vide 1. Macc. 4. 52. Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 11.

Huic Antiochum Epiphanem non quatuor ampliùs mensibus supervixisse constat, cùm nempe eodem anno (putà ab Autumno incipiendo) mense Xanthico, fato jam concessisset, rerúmque potiretur Eupator filius; utpote à quo, illo mense, die 15. αὐτονομίας diploma (in quo de Patris sui morte testatur) Judæis indultum fuerat. Vide 2. Macc. xi. v. 23. 33. Atqui in anno Macedonico sive Syro-Græcorum Xanthicus mensis ab Apellæo sive Casleu consecutione quartus est. Ecce enim mensium Macedonicorum seriem ab Autumno.

1. Hyperberetæus.	7. Xanthicus *Heb.* Nisan.
2. Dius.	8. Artemisius.
3. Apellæus. *Heb.* Casleu.	9. Dæsius.
4. Audynæus.	10. Panemus.
5. Peritius.	11. Lous.
6. Dystrus.	12. Gorpiæus.

Ergò Antiochus Epiphanes repurgationi Templi ultra quartum mensem non fuit superstes.

Ut autem fons erroris obstruatur, quo factum est ut Antiocho Epiphani vita adhuc ulteriùs prorogaretur illud mente probè tenendum est.

Annos

Annos Græcos ſive Seleucidarum, quibus Autor primi libri Maccabæorum utitur, Judæorum more, inchoari à Verno menſe Xanthico ſive Niſan.

Annos autem Alexandræos, quibus utitur autor ſecundi libri Maccabæorum: (Alexandrinus ipſe) inire ab Autumno ſequenti, id eſt ab Hyperberetæo: Hinc factum eſt, ut cùm anni prioris libri ſex menſium intervallo, poſterioris antevertant initium, neceſſe fuerit, quoties res geſta in æſtivalem anni ſemeſtrem inciderit, ut liber poſterior priori annos uno minùs numeret, quod illis qui rem non ſatìs attendiſſent fraudi fuit. Nam alioquin diligenter conferenti, illud de diverſo anni initio indubium erit. Vide Petavium Rationarii Temporum parte ſecunda Lib. 3. c. 13. pag. 219. qui accuratè confert.

Conſule quoq; Sethum Calviſium Iſagog. Chronolog. c. 43. Quare cum 2. Maccab. 11. 23. 33. Antiochus mortuus habeatur, Anno Græcorum 148. In primo autem cap. *6. 16.* Anno 149. illud neceſſariò colligitur, eum menſe Xanthico ineunte mortem obiiſſe: Neque enim citiùs potuit, cùm nondum annus Græcorum 149. à vere incepiſſet. Neque ſeriùs cum quindecimo Xanthici, filius, eo jam mortuo, Reſcriptum Judæis dediſſet. Imò & illud quoque ſponte ſequitur, non dies 45, prout ſententiæ Junianæ adſtipulatores ſibi perſuadent, ſed 13. tantùm aut 14. ad ſummum inter Antiochi mortem, & Reſcriptum αὐτονομίας intercedere potuiſſe, ità ut eò jam *gemini** *hujus numeri* interſtitia accommodari non poſſit.

** Scilicet Differentia inter 1290. & 1335.*

Ut hæc omnia clarè & citra difficultatem cognoſcantur, Quinquennalis intervalli ſeriem, diſpoſitis continuè cujuſque Anni, tum à Vere, tum ab Au-

tumno inchoati, mensibus (adscriptis quoque suis locis quæ huc conducunt eventibus) ob oculos tibi (Lector) ponenda duxi, ut ipse rem totam visu dijudices.

Anni Græcorum à Vere 1.Mac.		*Anni Græcorum ab Autumno* 2. Maccab.	*Anni Græcorum à Vere 1.Mac.*		*Anni Græcorum ab Autumno* 2. Maccab.
	XANTHICUS			XANTHICUS	
	Artemisius			——	
	Dæsius			——	
	Panemus			——	
	Lous			——	
	Gorpiæus			——	
145	HYPERBERETÆUS		148	HYPERBER.	
	Dius				
	APPELLÆUS Casleu	Têplum profan. 1 Macc. 1. 54.		APPELLÆUS	Templum Repurgatum 1.Mac.4.52
	Audynæus			——	
	Peritius			——	
	Dystrus			——	148
	XANTHICUS	145		XANTHICUS	Antiochi Epiphanis mors. & Diploma *αὐτονομίας* per Eupat. Eod. mense. 1. Macc. *6.* *16.* 2. Maccab. 11. 33.
	Artemisius			——	
	Dæsius			——	
	Panemus			——	
	Lous			——	
	Gorpiæus				
146	HYPERBERETÆUS		149	HYPERBER.	
	Dius				
	APPELLÆUS	Primus Annus Templ. prof. exit.		APPELLÆUS	
	Audynæus			——	
	Peritius			——	149
	Dystrus			——	
	XANTHICUS	146		XANTHICUS	Intra hoc semestre Eupator cum exercitu Hierosolymam venit contra Judam: sed paulò post pacem fecit. 1. Macc. *6.* 20. 2. Macc. 13. 1.
	——			——	
	——			——	
	——			——	
	——			——	
147	HYPERBERETÆUS		150	HYPERBER.	
	APPELLÆUS	Secundus Annus Templ. profan. exit.		APPELLÆUS	
	——			——	
	——			——	
	——	147		——	150

Ex

Ex istis jam satis liquere arbitror geminum hunc numerum (quæcunque tandem ejus mens sit dicenda) cladi Religionis Judaicæ per Antiochum Epiphanem nullo modo adaptari posse. Quid igitur hîc restat quàm ut diebus istis (prout alibi solet) annos totidem significari putemus. Neque ad triennalis quadriennalísve paulò minùs intervalli, quinimo ad longinqui temporis eventum aliquem (quicquid tandem id fuerit) exitu suo designandum pertinere.

Illud Judæi animadvertentes, tot annos (de initio tamen numerationis incerti) ad Messiæ sui adventum (quod unicè in votis habent) fluxuros arbitrati sunt, non hodie solùm, sed jam à multis retro seculis: unde factum, ut re temerè in calculum datâ, aliquoties vanâ spe delusi sint, imò bis *Pseudochristorum* laqueis irretiti.

Anno enim quinto Imperii Leonis (ait Theophanes Autor lib. 21. Histor. miscel. cap. 16) id est, anno Æræ Christianæ 720. *apparuit quidam Syrus Pseudochristus, & seduxit Hebræos dicens se esse Christum.* Credibile est huic imposturæ captatam occasionem ex calculo horunce Danielis dierum, ab excidio Hierosolymitano sub Rege Zedechia, à quo ad annum Christi 705. fluxerunt anni 1290. Aberratum est in Computo annis quindecim, quod leviusculum est.

Iterum tempore Maymonidis circa annum Christi 1130. exortus est alius Pseudo-messias seu Messiæ Prodromus, *David El-David* dictus, quem Rex Persarum decollari fecit. Supputârunt dies Danielis à profanatione Antiochi; unde ad Christi annum 1123. sunt itidem anni 1290. neque hîc multùm in calculo, licèt in re ipsâ nimiùm, aberratum fuit.

Vide Epist. Maimonidis apud Buxtorf. in fine Thesauri Gram. & Helvicum.

Simili

Simili fundamento innixus videtur R. Abraham, qui Messiæ adventum prædixisse fertur in annum Christi 1466. ducto videlicet posteriori numero prophetico ab anno Christi 131, quo Adrianus in loco ubi Templum Domini steterat βδέλυγμα ἐρημώσεως, putà Delubrum Jovi Capitolino extruxit.

Indè enim ad annum Christi 1466. numerantur ad amussim anni 1335. sed nullus tunc, quod sciam, apparuit, qui se pro Messia venditaret.

Ex Christianis autem quotquot de annis censent, non diebus; iis ferè in eo cum Judæis convenit, quòd ut illi *numeros hosce* ad *Primum* Christi adventum, ità isti saniore fide ad *Secundum* referunt; vel (quod non multùm interest) ad Judæorum collectionem, quam ipsi quoque Judæi sperant, sed in Epocha statuenda omnino laborant: Imò quædam hîc supponunt neq; Textui neque Rationi satis congrua. Sed qui sententias eorum particulariùs scire volet, ex ipsis petat. Mihi eas ultrà referendi non est animus, ut nec refellendi.

Quin meam quoque symbolam in numerum interpretationum conferre liceat, quam virorum doctorum judiciis lubens submittam.

Sic igitur statuo: Eventum, quem *geminus iste numerus* exitu suo designat, nec esse adventum Christi, nec restaurationem Israelis; quinimo vaticinii de temporibus quarti Regni novissimis, seu Antichristi, (quo Angelus Dan. 12. 6. קֵץ הַפְּלָאוֹת *finem mirabilium* retulerat) resignationem, eousque putà, quid illis occultaretur, quóve pertinerent, etiam cùm impleri cœperint ignorandis. Hunc esse *numerorum istorum* scopum, fidem tibi faciet Angeli & Danielis hoc capite

Dialogus,

Dialogus, quem ſic ex Textu repræſento, intellectu ſanè perfacilem, modò illud ex capite ſeptimo memineris; Quartæ Beſtiæ, ſeu Regni, tempora extrema ſeu noviſſima eſſe intervallum illud *TEMPORIS, TEMPORUM, ET DIMIDII TEMPORIS Cornu oculato* attributum: de quo item Regno, Cornúque Angelus iterum poſt Epiphanis hiſtoriam (quâcum Scriptura Regnum tertium ſemper terminare * ſolet) ſuperiore capite finiente diſſeruerat: ut ità nimirum temporis rerúmque geſtarum ſeriem à Perſica Monarchia unde inceperat, ad Reſurrectionem uſque & Secundum Chriſti adventum perduceret. Sed auſculta Dialogum.

* *Vid. Dan.* 8.23. *Nempe quia tunc Regnum quartum ſeu Romanum evehi cœpit, ſubjugatâ ſibi Macedoniâ Regni tertii capite.*

Ang. *Tu verò Daniel claude verba, & obſigna librum, uſque ad tempus FINIS; tum autem diſcurrent multi, & creſcet ſcientia.*

Dan. *At quouſque erit FINIS iſte rerum mirabilium, quem indigitas?*

Ang. *Quoad Tempus, Tempora, & Dimidium Temporis*, id eſt, quoad erunt Regni Quarti tempora illa extrema, jam antea tibi à me indicata, quæ ſunt *Tempus illud FINIS*, quod tibi inculco: utique *cùm conſummata fuerit diſperſio manûs populi ſancti*, (quod nempe ad finem illorum temporum futurum eſt) *conſummabuntur univerſa iſta.*

Dan. Ah Domine mi! nihilo magìs intelligo. Audio quidem nomenclaturam *noviſſimorum temporum:* Sed quid ſibi velit nomenclatura iſthæc, adhuc juxta cum ignariſſimis ſcio. Dic igitur mihi quæſo explicatè, *quid ſit res iſta noviſſimorum temporum, Temporis, Temporum, & Dimidii Temporis?* מַה אַחֲרִית אֵלֶּה

Ang. *Abi Daniel, quoniam res iſta clauſa eſt & obſignata*

signata usque ad Tempus ipsum F I N I S. *Tunc purificabunt se, dealbabuntúrque, & conflabuntur multi; & impii quidem agent impiè, neque intelliget impiorum quisquam; sed sapientes* (rem hanc) *intelligent.*

A tempore verò, quo oblatum erit juge sacrificium, positáque abominatio desolationis (illa scilicet quam tibi paulò antè exposui) *erunt* (ad tempus reserandi mysteria) *Dies* 1290. *Beatus qui expectat & pertingit ad Dies* 1335.

Tu verò abi usque ad F I N E M: *nam quiesces & stabis in sorte tua in fine dierum*, id est, in fine temporum istorum novissimorum, quando scilicet *multos è dormientibus in pulvere terræ experrectos iri* * modò audivisti.

* Vers. 2.

De Epocha Numerorum.

CAlculi Prophetici scopo sic ostenso, & perspecto, Epochæ quoque illius fœneremur lucem, vel potiùs reddamus à Spiritu Sancto accensam; eâ constitutâ, & firmatâ, postea complementi Prophetiæ historiam exhibituri.

Epocha igitur *Calculi Prophetici* juxta characterem ab Angelo datum est *Templi Hierosolymitani ab Antiocho Epiphane profanatio*; & quidem convenientissimè; ut ità typus Antichristi ad Antichristi manifestationem nos manuducat. De ea enim profanatione Angelus in hoc ipso vaticinio paulò antè egerat, nec aliam hîc *Ablationem jugis sacrificii* & *Abominationem desolationis*, sed eampse, quam ibi descripserat intelligi debere, arguunt primò verba utrobique eadem.

וּמֵעֵת הוּסַר הַתָּמִיד וְלָתֵת שִׁקּוּץ שֹׁמֵם hîc Dan. 12. 11.
וְהֵסִירוּ הַתָּמִיד וְנָתְנוּ הַשִּׁקּוּץ מְשֹׁמֵם illic Dan. 11. 31.

Atqui

Atqui ultima desolatio Hierosolymorum ad finem LXX Hebdomadum, quam nonnulli volunt Angelum sibi Epocham numerationis hîc statuere, secus aliísque verbis prædicitur. Deinde, quod à ratione prorsus alienum sit, neque cordato cuiquam, saltem qui rem expenderit, probabile videbitur; Angelum, ablationis jugis sacrificii & abominationis desolationis, tanquam rei Prophetæ, quorum verba faciebat, jam notæ, mentione factâ, non ad eam respicere quam paulò antè (continuatâ adhuc oratione) descripserat; verùm eâ translatâ ad aliam, de qua ante *triennium scilicet eidem vaticinatus fuerat. Cui, inquam, hoc ut verisimile persuadebitur? Hoc igitur fixum ratúmque esto; Calculi Prophetici Epocham esse profanationem Epiphanianam. Atque hinc mihi, Lector, Demonstratio consurgit hujuscemodi. Si profanatio Epiphaniana sit hujus numerationis Epocha, ea verò non possit (ut ostensum est) cladis istius durationi applicari; necessariò sequitur Dies hîc in annos convertendos, & de longinqui temporis eventu aliquo capiendos esse. Qui quam probè & ad amussim prædictioni respondeat, jam faxo intelligas.

* *Nempe anno primo Darii Medi, cùm præsens Angeli colloquium (in quo de abominatione Epiphaniana inter alia agit) habitum sit anno 30. Cyri.*

De Eventu.

PRior numerus à profanatione Epiphaniana numeratus exit ad Annum Domini 1123.

Posterior ad Annum Domini 1168.

Sed cùm peccatum illud desolationis (הַפֶּשַׁע שֹׁמֵם ut appellatur Dan. 8. 13.) ultra sexennium duraverit, haud incommodè à singulis ejus Annis duci potest Calculi prophetici initium, atque ad totidem annos in exitu terminari. Anni autem quos jam posui

à medio ſexennii numerantur; *quando juge ſacrificium ſublatum eſt*, Anno ante Æram Chriſtianam 167.

Fama Prodromus Oraculi implendi.

ANno 1106 (inquit Uſpergenſis apud Baronium) *Paſchalis Papa ordinavit profectionem in Galliam Ciſalpinam, ubi & Concilium celebrandum menſe Octobris indixit. Dum in itinere poſitus Florentiam perveniſſet, de adventu Antichriſti proximè futuro ſparſam famam inveniens, Florentiæ ſubſtitit: Cùm verò audiſſet, quæ ferrentur, ut nullius fidei & autoritatis aſſertionem contempſit, & cæptum iter eſt proſecutus.*

Addit Baronius, fuiſſe opinionem non vulgarium virorum, Antichriſtum iſto ſeculo fore revelandum, & inter alios, Norberti, viri temporis iſtius famâ celeberrimi; De quo ità Bernardus Ep. 56. ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum.

*Cùm (*inquit*) ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cæleſti fiſtula, ore videlicet ipſius, plurima haurire meruerim; hoc tum ab ipſo non audivi (ſcilicet iturum eum Hieroſolymam) verùm de Antichriſto cùm inquirerem quid ſentiret; durante adhuc eâ quæ nunc eſt generatione, revelandum illum, certiſsimè ſe ſcire proteſtatus eſt. At cum eandem certitudinem unde haberet? ſiſcitanti mihi exponere vellet, audito quod non reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videat generalem in Eccleſia perſecutionem.*

Sabellicus Enneadis nonæ lib. 4. *Prodigia per id tempus (*id eſt ſub Paſchali ſecundo*) aliquot apparuerunt: Mare vicenis paſsibus, alii centenis ſcribunt, præter ſolitum littora inundavit; apparuit & Cometes miræ magnitudinis,*

magnitudinis. His fortaſſe prodigiis motus, affirmare non dubitavit, Fluentinus Antiſtes, eſſe Antichriſtum natum. Quâ prædicatione Paſchalis motus, in Hetruriam profectus, conventúque ſuper ea re Florentiæ habito, cùm appareret hominem nullâ aliâ ratione ſubnixum, quàm ut alicujus magnæ rei autor videretur; ejuſmodi prædicatione uſum, tantùm admonuit ut temerario incœpto deſiſteret. Recognovit idem Paſchalis in Ciſalpina & Comata Gallia Eccleſiarum ſtatum.

Platina rem ſic narrat. Poſtquam de Cometa dixerat qui tunc temporis apparuit, eum Paſchalem tanquam rem naturalem neglexiſſe, ſubdit, Verùm *cùm intellexiſſet Florentinum Epiſcopum affirmare ſolitum Antichriſtum natum eſſe, eò ſtatim proficiſcitur, conciliόque habito, re ipsâ admodum diſcuſſâ, cum levitate quadam, ut alicujus magnæ rei autor videretur motum Epiſcopum cerneret, hominem verbis caſtigatum dimittit; atque indè in Ciſalpinam proficiſcitur.*

Omnino exiſtimo famam hanc eo præcipuè ſubnixam fundamento, quòd vidiſſent Calculum Danielis pro annis computatum tum propemodum elapſum fuiſſe. Cùm igitur Epiſcopus iſte Fluentinus ſeu Florentinus priorem periodum forte obſervâſſet intra vicennium aut circiter evolutum iri; porrò putaret Antichriſtum non niſi ætate jam maturâ revelandum, & adultum ad bellum contra Sanctos proditurum, ideo eum affirmavit jam tum natum eſſe, minimè verò (ut perperam Centuriatores excepерunt) jam tum in Eccleſia dominari. Nondum enim Romanum Pontificem eſſe magnum illum & κυρίως dictum Antichriſtum vel Florentinus Antiſtes, vel alii ſuſpicati ſunt; ſed aliam Triennalem & Semeſtrem

expectabant. Natam verò hanc famam, ut dixi, ex supputatione *Dierum Danielis*, quasi ad Antichristi adventum deducentium, (nempe *prioris Calculi*, nam *Secundum* fortasse ad extremum judicium retulerint) mihi ut faciliùs credam, suadet non absimile conamen Gualteri Bruti nostratis, qui diu postea circa annum viz. 1390. eámpse rationem allegaverit, revelati suo tempore in Britannia Antichristi, in Tractatu * quem ea de re exhibuit Episcopo Herefordensi: Sed Epocham statuit in excidio Hierosolymitano, ut itá exitum suo & Wickleffi ævo accommodaret: Quidni credam idem aliis, longè ante Brutum natum in mentem venire potuisse, præsertim cum Epochæ verisimilioris ab Antiocho periodus, ab exitu suo haud multùm abesset: Præterea Cometa appareret & alia prodigia humanis mentibus commovendis nata: fortè enim natum putaverint Antichristum eo temporis momento quo Cometa apparuisset; sicut Magi Christum apparente Stellâ: Sed paulò diutiùs fama nos detinuit; jam eventum referemus.

* *Habetur in Foxi Martyrologio ad annum* 1391. *sub Rich.* 2.

Eventus ad exitum prioris periodi 1290.
Annis Christi 1120, 1121. 1123, &c.

ANno Domini 1120. Indictione Rom. LIIII. post biennium ineunte, quorundam fidelium nomine, emissus est Tractatus de Antichristo, annum quo primum in lucem prodiit quasi de industria in fronte præferens, hisce verbis, *Qual cosa sia L' Antichrist en datte de l' an: Mille cent & vigint*, unà cum symbolo tali, * *Sicut fumus præcedit ignem, victoriam pugna; sic & gloriam Christi tentatio Antichristi.*

* *In opere imperfecto in Matth. Hom.* 49. *ad vers.* 27. *cap.* 24.

In

In hoc libro admonentur Fideles Antichristum illum magnum jamdudum venisse, frustra adhuc expectari, esse jam Dei permissione ætate provectum.

Præsentem rei Ecclesiasticæ statum Pseudoprophetarum regimine & mendaciorum ministris constantem, una cum populis ei in errore subditis.

Qui utraque potestate armati, aliisque omnibus ad errorem fundandum latéque provehendum præsidiis instructi, sub specioso *Sponsæ Christi* titulo, cultûsque & sanctimoniæ Christianæ larvâ, viam salutis per Christum mundo annunciatam, fraudulentis erroribus, & damnationis doctrinis oppugnent; Christi meritis, gratiæ & officio mediatorio derogent; uni Deo, Christóque debita, sibi, creaturis, hominúmq; operibus adscribant: Sanctos, Sanctásque numinum vice colant, Reliquiis Imaginibúsque divinam venerationem deferant: Eucharistiam pro Deo, ipsóque Jesu Christo adorent; verbo, Christianitatis titulo reipsâ Idololatriam exerceant; denique in Dei amantes & vera Christi membra odiis & persecutionibus sæviant.

Hunc hominum statum (non singularem hominem) esse *Antichristum*, Meretricem Babylonicam, quartam Bestiam Danielis (nempe in statu ejus novissimo, ut dictum est) hominem illum peccati, & filium perditionis, qui extollitur super omnem Deum, ità ut in Templo Dei, id est, Ecclesiâ sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus, qui jam venit in omni genere seductionis, & mendacii in iis qui pereunt.

Quapropter se ab hoc Iniquitatis Mysterio, sicut mandavit Deus, secessionem facere tam intrinsecè quàm extrinsecè, hortaríque omnes, quibus Deus Opt.

Opt. Max. eandem veritatem revelaverit, ut idem secum facerent: Civitatíque Sanctæ Jerusalem, veritati Christi, & Sponsæ ipsius perpusillæ sese adjungerent.

Quem in finem se jam mundo notum facere, qualis sit ipsorum cœtus, & quas habuerint secessionis suæ causas.

Hæc scripti illius summa est, quod Dei providentiâ ad nostrum usque tempus, seruârunt Reliquiæ Waldensium Alpinorum, à quibus acceptum typis non ità pridem vulgavit ex antiquo Manuscripto *Joannes Paulus Perrin* in * Hist. Waldens. & Albigens. Gallicâ. Videsis eum, Lib. 1. cap. 7. & parte tertiâ, (quæ de doctrina & disciplina Waldensium agit.) Lib. 30.

* *Quam Anglicè vertit Samson Lennardus, Anno* 1624.

Atque hoc fuit secessionis Piorum à Romana Ecclesia initium; neque ante hoc tempus, quicquam ex omni Christianorum memoria, auditum fuisse crediderim, de Papatu magno illo, & κυρίως dicto Antichristo, neque alium expectandum esse.

Quæ tamen sententia ab hoc tempore in plurimorum animis gliscere, atque indies magìs magísque invalescere cœpit.

Nam quod unicum hîc excipi potest, de Hildebrando, in quem aliquot antè annis, hujus nominis jaciebantur contumeliæ, id assertionem meam non labefactat; siquidem in personam illius eæ dirigebantur, & aliam ob causam, ídque ab illis qui Romanæ Ecclesiæ cultum & dogmata nondum improbârunt; propterea non alio censu habendæ quam pro parabolicè & κατ' αὔξησιν dictis, Declamatorum more.

Sed enim fuisse hoc tempore cœtum aliquem qui à Romana

Romanâ Ecclesiâ secessionem fecerat, & seorsim conventus ageret, id porrò ex Bernardo colligitur Serm. *65*, & *66*. in Cantica Cantic. ubi in *vulpeculas* quasdam declamitat vineam Ecclesiæ demolientes. Quos tamen (inquit) *si fidem interrogas*, *nihil Christianius*: *si conversationem*, *nihil irreprehensibilius*; *& quæ loquuntur*, *factis probant*: præterea *jactare se esse successores Apostolorum*, *& Apostolicos nominare*. Lege (Lector) si lubet; contulisse non pœnitebit.

Affingit quidem Ille ex auditu *vulpeculis* istis errores aliquot Manichæorum de prohibitione conjugii, & interdictione ciborum, ut facilè hinc agnoscas *Waldensium* progenitores, quibus & similes Manichæismi affricti sunt, sed falsò, ut luculenter ostendit Reverendissimus & omnis Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Archiepiscopus Armachanus. Quin & omnis ævi experientia testatur, etiam nostri, quàm parùm fidei in hujusmodi criminationibus adversario tribuendum sit. Hoc tamen eò à me dictum putari nolim, quasi segreges istos omni prorsus erroris labe expertes crederem. Nihil opus est. Quippe in eo non vertitur res, quam adstructam velim. Ultrò igitur dare non verebor præ * ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς (ut est hominum nium) cùm istos, tum postea Waldenses & Albigenses (quidni & nostros) in nonnullis tum quæ ad dogmata, quàm quæ ad mores spectant (quæ tamen essentiam Fidei Christianæ non lædant) ab errore excusari non posse nec debere. Hoc tamen non prohibere assero, quo minùs fuerint *Cœtus* ille Jesu Christi *electus*, *vocatus*, *& fidelis*. In hoc enim Religionis examine, illud nos (ut opinor) sentire decet, Veros Apoc. 17. 14.

* *excessu tractionis in contrariam partem.*

& legitimos Dei cultores, non ex omnimoda erroris, etiamnon fundamentalis, immunitate censendos esse, quinimo ex puritate cultûs, & immunitate ab Idololatria. Qui sic comparati, Deo Patri, per Jesum Christum Filium Mediatorem, sincerè placere studeant, ei gratos esse & acceptos. Quis enim mihi præstabit septem illa millia, qui tempore Eliæ Baali genua non flexerunt, quósque Deus sibi superfuisse testatur, ab omni errore graviore fuisse immunes? Aut Ecclesiam Judaicam aliquot ante Christum seculis, quâ parte sincerissima fuit, pluribus de Religione erroribus non laborâsse?

Eventus ad exitum Posterioris periodi 1335. *Annis Christi* 1166, 1167, 1168, 1169.

INter Annum Christi 1160. & 1170. (nam quo præcisè anno inter Scriptores non convenit) quodam quasi Antichristi jam patefacti classico excitati, magnus hominum numerus, alii *Waldenses* ab Autore *Waldo*, alii *Albigenses*, alii aliis dicti nominibus, ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt; Eam esse Babylonem illam Apocalypticam Matrem scortationum & abominationum terræ, mirabili planè consensu & constantiâ denunciantes. In quos ingens statim persecutio exorta est, imò integri exercitus adversùs eos ducti sunt, tantáque strages (priusquam cessatum est) edita, ut per Galliam solam, si Paulus Perionius in ejus Belli historia rectè calculum inierit, occisa sint ad DECIES CENTENA hominum MILLIA; sed *Beati mortui qui in Domino moriuntur, ámodo dicit Spiritus*. Apoc. 14. 13. Id quod & Angelus hîc apud Danielem spectâsse videtur

tur, cùm dixerat, *Beatus qui expectat & pertingit ad Dies* Mcccxxxv. nisi illud fortè potiùs ad illustriorem Antichristi patefactionem tunc futuram referendum, quâ beatus esset, cui eam videre contigisset: utcunque, hi fuerunt isti, de quibus ibidem Angelus, *purificandi, dealbandi & conflandi*; quósque sapientiæ, & in Dei mysteriis perspicaciæ testimonio exornat. Hostes autem illorum *impii isti, qui impiè agerent, nec intelligerent.*

Cur Deus voluerit isto potiùs quàm alio seculo Antichristum primitùs revelandum?

1. Quia, tum ad ἀκμὴν suam perveniret, eóque omnes Antichristi characteres plenissimè repræsentaturus, ut clariùs cerni cognoscíque potuerit, sicut Sol Meridie.

2. Quia seculo isto in neminem alium suspicio Antichristi cadere potuerit, Quippe Imperio Saracenico tum ad occasum & ruinam indies præcipitante; Ottomanico nondum cœpto.

3. Quia Deus hac ratione fidelibus suis prospectum voluit nè persecutioni Antichristi tum præ foribus existenti, animis fracti succumberent: sed omnino persuasum haberent, se esse Sanctos illos à bestia vincendos, Apoc. 13. proindéque rabiem ejus hâc consolatione freti animosè contemnerent.

Quare Spiritus hujuscemodi numerorum periodos hic assumpserit, qui neq; ad septenarios neq; ad ullam omnino numeri perfectionem revocari possint?

R. Quia tempus, quo res accideret ad factum Romanum spectans, designaturus, ad eam tem-

poris putandi rationem sese accommodare voluit, quâ soli Romani (& quidem temporibus istis novissimis) usuri essent, tum in Imperatorum suorum Constitutionibus & Edictis, tum in Pontificum Decretis subnotandis, Epochæ nimirum Indictionum. Utriusq; enim periodi Angelicæ, ab Anno profanationis Epiphanianæ putatæ, exitus concurrit cum initio, seu primo Anno Indictionis Romanæ; Siquidem Annus Christi 1123. primus est Indictionis Romanæ LIIII. Annus item 1168. Annus primus est Indictionis LVII. Quæ enim inter utrumque numerum differentia est annorum, seu dierum annalium, 45. ea tres Indictiones (15 scilicet Annorum in orbem recurrentium periodos) ad unguem comprehendit. Quæ omnia casu contigisse quis facilè crediderit; & non potiùs Spiritum Sanctum deditâ operâ istiusmodi numerorum periodis usum, ut ad initia Indictionum Romanarum collinearet, quibus futurum esset ut Prophetia resignaretur? Idem verò hoc facto mihi innuere videtur, acsi dixisset; Primam hujus Mysterii reserationem futuram ad Indictionem Romanam LIIII. Cujus Annus primus esset à profanatione Epiphaniana 1290. *Beatum* verò *qui expectaret & pertingeret* ad Indictionem Quinquagesimam. cujus Annus primus esset à profanatione Epiphaniana 1335. Indictionem autem eam assumpsit, non quæ magnam partem jam præteriisset, sed quam Eventus primùm integram amplexu suo occuparet, ut applicatio quam suprà ex historia rei gestæ dedimus, consideranti manifestum faciet. Neque sanè res ipsa, siquis ad rationem & indolem ejus bene attenderit, ejusccemodi est, cujus initii observationem, uni alicui

Indictio Romana est quindecim annorum spatium.

anno

anno commodè alligaveris, sed quæ annorum aliquot spaciolum requirat? Huic igitur rei, temporis per Indictiones designatione, sapientissimum prospectum est.

Consectaria.

DAtâ, quam hucusque astruere conati sumus de mente hujus vaticinii, hypothesi, Tria magni momenti Porismata consequuntur.

1. Patrum Autoritatem in negotio Antichristi & novissimorum Temporum (utut in aliis multum illis tribuendum sit) omnino nullam esse: utpote quorum ætate mysterium istud juxta Angeli Prophetiam adhuc clausum & obsignatum foret. Non igitur esse cur hic Patrum opinationibus tantopere moveamur, ut multi solent.

2. Si Antichristus seculo isto XII. revelandus erat, ergò jam venerit, ipsissimúsque est qui tunc revelatus fuerit, non alius.

3. Waldenses, Albigenses, cæterósq; similes, tunc temporis à Romana Ecclesia segreges, tot Adversariorum suorum præjudiciis gravatos, quibusdam etiam è nostris nimiùm hâc parte credulis de Schismate si non hæresi suspectos; hujuscemodi calumniarum de Spiritûs Sancti sententia absolvendos esse, próque legitimis Dei Patris per Jesum Christum cultoribus, quibus utique sapere & intelligere solis, in tam caliginoso (heu) Ecclesiæ statu datum fuit; hujus Scripturæ vi agnoscendos.

D. HIERONYMI Pronunciata de Dogmate *MILLENARIORUM.*

IN cap. 54. Esaiæ vers. 1. LAUDA vel LÆTARE STERILIS, QUÆ NON PARIS, &c. *Hunc locum*, inquit, *& cætera quæ sequuntur, Judæi & nostri Judaizantes ad Hierusalem referunt, quam dicunt in mille annorum regno instaurandam, & eandem esse quæ priùs habuit virum, & postea habere desierit: multóque plures habitura sit filios post repudium, quàm priùs habuit sub viro.---Nec mirandum de Judæis, quorum oculi auréſq; sunt clausæ, si apertam non videant veritatem. De Christianis quid loquar, nescio; qui, dicente Apostolo quæ sunt allegorica, & ad duo Testamenta, Vetus & Novum, Saram Agárque referente, Judæis tradunt manus, terrenarum in mille annis desiderio voluptatum.*

Ad vers. 11. *Respondeant amatores tantùm occidentis literæ, & in mille annis exquisitos cibos gulæ ac luxuriæ præparantes (quorum Deus venter est & gloria in confusione eorum; Qui post secundum in gloria Salvatoris adventum, sperant nuptias, & parvulos centum annorum, & circumcisionis injuriam, & victimarum sanguinem, & perpetuum Sabbatum: qui dicunt cum Israel in perversum modum;* Manducemus & bibamus, cras enim regnabimus: *) quæ sit ista cœlestis Hierusalem, cui nunc dicitur:* ECCE EGO STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS &c.

In cap. 60. vers. 1. SURGE ILLUMINARE &c. *Breviter*, inquit, *perstringendum est quod plurimi de hoc loco*

loco sentiant, ut errore perspecto, faciliùs possimus suscipere veritatem. Judæi & nostri semijudæi, qui auream atque gemmatam de cœlo expectant Hierusalem: hæc in mille annorum regno futura contendunt: quando omnes gentes servituræ sunt Israel, *& cameli Madian, & Epha de Saba venientes, aurum deferent & thus &c.--Hæc illi dicunt, qui terrenas desiderant voluptates, & uxorum quærunt pulchritudinem, ac numerum liberorum: quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum: quorum qui sequitur errorem, sub nomine Christiano Judæorum se similem confitetur. Alii autem asserunt hæc omnia Judæis carnaliter repromissa, si eum recepissent qui dicit in Evangelio* EGO SUM LUX MUNDI—— *quem quia non susceperunt, repromissiones quoque irritas fieri.* --- vide cætera. In procemio in lib. 18. Commentariorum in Esaiam. *Nec ignoro quanta sit inter homines sententiarum diversitas. Non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta confessio est ignoratio scientiæ; sed de aliis Ecclesiasticis dogmatibus, de Resurrectione scilicet, & de Animarum & humanæ carnis statu: de repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi, & quâ ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis: quàm si juxta literam accipimus, Judaizandum est: si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videremur opinionibus contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii: Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantùm Lugdunensis Episcopi faciam mentionem, adversùs quem vir Eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam & auream atque gemmatam Hierusalem in terris, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, Circumcisionis injuriam*

juriam, nuptias, partus, liberorum educationem, Epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem; rursúsque bella, exercitus, ac triumphos & superatorum neces, mortémque centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus respondet Apollinarius; quem non solùm suæ sectæ homines, sed & nostrorum, in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo: ut præsagâ mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantùm ament terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulæque ac ventris ingluviem, ea quæ sub ventre sunt quærunt. De quibus Apostolus, ESCÆ, *inquit,* VENTRI, ET VENTER ESCIS, &c. *Et,* NON EST REGNUM DEI CIBUS ET POTUS. *Et Christus,* ERRATIS NESCIENTES SCRIPTURAS, NEQUE VIRTUTEM DEI. IN RESURRECTIONE ENIM NEQUE NUBENT NEQUE NUBENTUR, SED ERUNT SIMILES ANGELORUM.

In cap. 66. Esaiæ. vers. 22. QUIA SICUT COELI NOVI ET TERRA NOVA &c. *Quod aliis verbis in alio Psalmo dicitur,* OMNES GENTES QUAS FECISTI, VENIENT ET ADORABUNT IN CONSPECTU TUO ET GLORIFICABUNT NOMEN TUUM DOMINE: *Mensem ex mense & Sabbatum ex Sabbato; in quibus veniet omnis caro, ut adoret Deum; ridiculè interpretantur* ΧΙΛΙΑΣΤΑΙ, *quos nos dicere possumus* MILLIARIOS: *ut qui in vicino sunt, omni Sabbato veniant in Hierusalem; qui longiùs, per menses: qui valdè procul, per annos singulos, hoc est, diebus Paschæ sive Tabernaculorum, juxta illud quod in Zecharia dicitur* [cap. 14.] ASCENDENT AB ANNO IN ANNUM &c.

In

In Hieremiam cap. 31. 27. *Omnes hujusmodi repromissiones juxta Judæos & nostros Judaizantes, in mille annorum regno putantur esse complenda: Nos autem---in primo adventu Christi spiritualiter impleta defendimus, & impleta ex parte non ex toto.* Ibidem ad vers. 38. *Qui mille annorum in terra Judæa regnum Christi recipiunt, Judæi videlicet & nostri Judaizantes conantur ostendere turrem Hananeel, & portam anguli, &c.---Et ibi dicunt Sanctuarium Domini.* id est, Templum esse condendum, mansurúmque in perpetuum. Vide cætera.

In cap. 16. Ezech. vers. 55. Et soror tua Sodoma, &c. *Judæi inter cæteras fabulas & interminabiles genealogias, & deliramenta quæ fingunt, etiam hoc somniant; in adventu Christi sui, quem nos Antichristum scimus, & in mille annorum regno, Sodomam esse restituendam in antiquum statum, ità ut sit quasi paradisus Dei, & quasi terra Ægypti: & Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judæam--- Hierusalem quoque tunc fabricandam &c.--- Nos autem perfectam horum scientiam Dei judicio relinquentes, imò liquidò confitentes, post secundum adventum Domini Salvatoris nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia quæ primùm in Evangelio promittuntur, hoc dicimus: quòd in Ecclesiæ statu cuncta completa sint & quotidiè compleantur &c.*

In cap. 36. *Hæc illi* (id est, Judæi) *expectant in mille annorum regno, quando Civitatem Hierusalem asserunt extruendam, & Templum, quod in fine hujus voluminis describitur, & rerum omnium felicitatem; quorum nonnulli arbitrantur sub Zorobabel hæc fuisse completa. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur* vers. 11.

ET HABITARE VOS FACIAM SICUT A PRINCIPIO &c. Paulò pòst, *Et quia longum est nunc adversum dogma Judaicum, & beatitudinem ventri & gutturi Judaico servientem --- in brevi explanatione dicere. Neque enim juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam & auream de cœlo expectamus Hierusalem; nec rursus passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, nec Sabbati otio dormiemus. Quod & multi nostrorum, & præcipuè Tertulliani liber qui inscribitur de spe fidelium, & Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, & Victorini Pictavionensis Episcopi crebræ expositiones, & nuper Severus noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit. Et ut Græcos nominem, & primum extremúmq; conjungam, Irenæus & Apollinarius.*

In cap. 37. verſ. 15. in fine. *Quod si Judæi & Christiani Judaizantes, hæc ad Mille annorum voluerint referre regnum; necessitate coguntur, ut suscipiant omnes qui salvi fuerint habitaturos in terra Israel, ædificandam Hierusalem, extruendum Templum, cunctas legis ceremonias exercendas, observandum Sabbatum, accipiendam circumcisionis injuriam &c.*

In cap. 38. *Igitur Judæi & nostri Judaïzantes putant Gog esse gentes Scythicas immanes &c.--- & has post mille annorum regnum esse à Diabolo commovendas, &c.*

In cap. 39. *Et hæc Judaicæ traditionis hæredes, & discipuli interminabilium fabularum, post Mille annorum Regnum futura contendunt.*

In Micheam cap. 4. *Sciendum quoque hoc capitulum & huic simile de Esaia, Judæos & eorum erroris hæredes ad mille annorum referre imperium Christi & Sanctorum &c.*

In

In Zach. c. 14. ad v. 10. IN DIE ILLA &c. *Judæi et Christiani judaizantes ultimo sibi tempore repromittunt, quando rursum exercenda circumcisio sit, & immolandæ victimæ, & omnia Legis præcepta servanda: ut non Judæi Christiani, sed Christiani Judæi fiant. In die, inquiunt, illâ quando Christus in Hierusalem aureâ & gemmatâ sederit regnaturus, non erunt idola, nec Divinitatis cultura diversa: sed erit Dominus unus.* Paulò pòst, *Hæc Judæi juxta literam somniant, & nostri* χιλιασταὶ *qui rursum audire desiderant Crescite & multiplicamini &c. At pro vitæ hujus continentia brevíque jejunio, bulbos sibi & vulvas & aves Phasidis, & attagenem nequaquam Ionicum, sed Judaicum repromittunt* &c. Hactenus Hieronymus.

Animadversiones in D. Hieronymi *Pronunciata &c.*

SEd fidem tuam Hieronyme! qui cum Dionysio tuo Alexandrino Millenariorum dogmati promiscuè affingitis *Circumcisionis injuriam, victimarum sanguinem*, cæteràsque Legis cæremonias postliminio instaurandas: Scilicet quæ Judæi, aut fortè ex Judaismo Hæretici de suo Millenario somniârunt, vos Christianis odiosè impingitis. Hoccine verò candorem vestrum decuit? Imò, tu Hieronyme, vel teipso judice, prodis criminationem istam falsam esse. Sic enim scribis in Jeremiam cap. 19. v. 10. *Post captivitatem quæ sub Vespasiano & Tito, & postea accidit sub Hadriano, usque ad consummationem seculi Ruinæ Hierusalem permansura sunt: quanquam sibi Judæi auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent;*

XUM

rursúsque victimas & sacrificia, & conjugia Sanctorum, et regnum in terris Domini Salvatoris: quæ licèt non sequamur, damnare tamen non possumus; quia multi virorum Ecclesiasticorum et Martyrum ista dixerunt. Unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta judicio reserventur. Hæc verba tua sunt, Hieronyme. Sed dic sodes: An viri isti Ecclesiastici & Martyres sanctissimi dixerunt, *circumcisionem et victimas* in regno illo Christi restituendas? * Cave dixeris. Aut si ità credidisse scires, annon sine cunctatione damnares?

* Certè contrarium docuere: Id quod firmari potest ex Justini Martyris dialogo cum Tryphone Judæo. Ὀυ ἐν τῇ πάλιν παρουσίᾳ μὴ δόξητε λέγειν Ἡσαΐαν ἢ τοὺς ἄλλους προφήτας θυσίας ἀφ' αἱμάτων ἢ σπονδῶν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἀναφέρεσθαι, ἀλλὰ ἀληθινοὺς καὶ πνευματικοὺς αἴνους καὶ εὐχαριστίας. *In cujus* [Christi] *secundo adventu, nè existimetis Esaiam aut alios Prophetas admonere, ut sacrificia sanguinis aut libationum super altari offerantur, sed veræ atque spirituales laudes & gratiarum actiones.*

Verba Gaii *apud* Eusebium. *lib. 3. cap. 27. Hist. Eccles.*

Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος ἐπεισάγει λέγων. μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι· id est, *Sed et Cerinthus per Apocalypses velut à magno Apostolo scriptas, portentosa quadam nobis, quasi per Angelos sibi ostensa mentitus, attulit, Regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum, et carnem nostram denuo Hierosolymis concupiscentiis ac voluptatibus*

luptatibus carnis servituram dicens: Et cùm inimicus esset Scripturis Dei, numerum cujusdam Millenarii festi nuptiis deputatum, seducere volens, futurum dixit.

Animadversiones in verba GAII.

ANnon hinc meritò quis suspicari possit Gaium istum ex Alogorum hæreticorum numero fuisse, quos Epiphanius tradit Dei λόγον negâsse, ideóq; tam Joannis Evangelium quàm Apocalypsin Cerintho tribuisse? Tempus omnino congruit: Theodotus enim Alogorum antesignanus à Victore Papa de Ecclesia ejectus est, Gaius autem iste floruit sub Zephyrino, qui Victorio proximè successit.

Possunt tamen forsan Gaii verba in eum sensum accipi, acsi dixisset Cerinthum alias nescio quas Apocalypses præter unicam illam magno Apostolo affinxisse, ex quibus probare sategit homo falsarius Regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum, in quo homines carnis cupiditatibus & voluptatum carnalium blanditiis inservirent. Et χιλιονταετίαν non illum quidem commentum esse, sed docuisse eam in nuptiarum festis & similibus cupediis consumptum iri, quasi Joannes idipsum voluisset.

Sed quæcunque fuerit Gaii mens, verisimile est eum de Cerintho falsum fuisse. Si enim hæc fuisset Cerinthi hæresis, quî id ignorare potuerint Justinus, Irenæus, Melito, Tertullianus, Hippolytus; quorum Irenæus & Tertullianus Cerinthi hæreses ex professo enumerârunt: Sed de isthac altum silentium. Unde igitur illud Gaio innotuit?

Videntur nihilominus hæc Gaii, hominis obscuri, verba Dionysio Alexandrino, Eusebio, & aliis pluribus, fervente lite cum Millenariis, errandi, & de Apocalypseos autoritate dubitandi occasionem præbuisse.

FINIS.

Lector:

Lector: vel ramentis auri suum pretium: quapropter exhibemus tibi & hasce Medi *nostri in Apocalypsin* annotationes, *quæ certè majoris operis analecta videantur; Sed nec immemores interim illius, quod præceperit Christus,*

JOAN. c. 6. v. 12.

Congregate quæ superfuerunt fragmenta, Nè quid pereat.

Annotationes in Apocalypsin.

CAP. I. vers. 3. — *Empus enim propè est.* id est, Jam adest tempus, quo *verba Prophetiæ hujus* impleri cœperint, & indies magis magísque implebuntur.

Vers. 4. --- *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est,* καὶ ὁ ἐρχόμενος. Eadem habentur verba, vers. 8. cap. 4. 8. cap. 11. 17. Ὁ ἐρχόμενος. *Venturus* idem est quod ὁ ἐσόμενος *Futurus*, ut ex cap. 16. 5. manifestum est, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος, *utì locum hunc restituit Beza ex vetusto bonæ fidei manuscripto codice. Seculum *futurum* Hebræis est עולם הבא. Unde Marc. 10. 30. Luc. 18. 30. Αἰὼν ὁ ἐρχόμενος. Ephes. 2. 7. Ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις. Vide Psal. 71. 18. לְכָל־ יָבוֹא Esa. 27. 6. הַבָּאִים *Venturis* sub. diebus, id est, Posthac, Inposterum. Esaiæ 44. 7. וְאוֹתִיּוֹת וַאֲשֶׁר תָּבֹאנָה Vulgat. *Ventura & quæ futura sunt.* Dan. 9. 26. עַם נָגִיד הַבָּא *Populus Principis venturus*, id est, *futurus. Et à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Per Spiritus* hos intelligit *Angelos* Aretas in locum, τινὲς τὰ ἑπτὰ πνεύματα τὰς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου ὑπέλαβον πνεύματος, δοκιμώτερον δὲ ἀγγέλους ταῦτα νοεῖν. Cornelius à Lapide pro eadem sententia

* Vulgat. legebat ὅσιος, Sanctus.

tia *Junium* laudat; sed fallitur. Fortè *Drusium* dicturus fuisset, nam ille sic sentit ad hunc locum, ubi inter alia habet, *Septem Archangelos esse qui stant coram Deo etiam Jonathan prodidit*; Sed ubi non commemorat. Locus est Gen. 11. 7. *Dixit Dominus Septem Angelis, qui stant coram eo, Venite nunc, &c.* Cum istis facit Th. Beza, *quòd* (inquit) *septem hos spiritus nonnulli pro Spiritu Sancto acceperunt, cujus septiformis (ut loquuntur) sit gratia, manifestè refelli potest vel ex eo quod scribitur infrà, 5, 6.* Et paulò pòst, *Ut nemo de hoc possit ambigere, iidem isti septem spiritus infrà, cap. 5, 6. Agni cornua & oculi (id est, ministri) dicuntur.* Accedit, quòd in cap. 8. 2. expressè dicuntur *Angeli. Vidi*, inquit Joannes, Τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ἑστήκασι, *Septem Angelos qui adstant coram Deo.* Confer. cap. 4, 5.--- *Septem lampades ante Thronum, quæ sunt septem Spiritus Dei.* cap. 5, 6. *Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Et Zach. 4. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt per universam terram.* Videsis etiam Tobiæ 12. 15. *Ego sum unus ex septem Angelis, qui astamus ante Dominum.* Cypr. adversùs Judæos lib. 1. 20. Hilar. in Psal. 118. vel 119. & Psal. 129. vel 130. Adde, Clem. Alex. lib. 6. Strom. ἑπτὰ μέν εἰσιν οἱ τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντες πρωτό-γονοι ἀγγέλων * ἄρχοντες, id est, *Septem quidem sunt quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes.* [Sed de Septem hisce Angelis fusiùs disseruit Autor in peculiari diatrib. in Zach. 4. 10.]

* Dan. 10. 13. שָׂרִים הָרִאשֹׁנִים *Principes primarii.*

V. 5. *Et à Jesu Christo*, Postponit hic Joan. Septem Spiritibus Christum, quia de Christo deinceps continuandus

tinuandus erat sermo: viz. *Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum* &c. nempe id Sacris Scriptoribus solenne est, ut id postponant, à quo volunt inchoare sequentia*. Simile videre est in Heb. 12. 23. Ubi post illa *Spiritus justorum perfectorum* reperies --- καὶ N. T. *Mediatorem Jesum & sanguinem aspersionis*, quia de sanguine Christi continuatur sermo, --- *meliora loquentem* quàm [Sanguis] *Abelis*. Videsis etiam 1 Tim. 3. 16. ubi ἀνελήφθη ἐν δόξῃ ultimo loco poni reperies. [Vide Tractatum de *Posterioribus temporibus* & *Doctrinis Deastrorum*, 1. Tim. 4. 1, 2, 3. pag. 2. & p. 32.].

Vers. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent super eum omnes tribus terræ.* [Vide Commentationes Apocalypticas ad cap. 5. pag. 11.] [Vide & Dissertat. de Mysterio conversionis S. Pauli &c.]

Vers. 13. *Vidi in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ.* id est, amictu & cinctu sacerdotali ornatum. Ità Irenæus lib. 4. c. 37. pag. 373. edit. Fevard. Confer. cap. 15. 6. & Dan. 10. 5. ubi *vir quidam* dicitur *amictus* בדים *lineis*, sed *cinctus* non circa pectus ut Sacerdos, sed *circa lumbos* seu renes. Martin Lex. *Poderes est tunica Sacerdotalis linea corpori adstricta, usque ad pedes descendens: Hæc vulgò camisia vocatur ex Isiodoro* Lib. 19. 21. Legitur ποδήρης Sap. 18. 24. Syrac. 27. 8. c. 45. 11. LXX hac voce reddiderunt אפוד Exod. 28. 31. בדים Ezech. 9. 23. מחלצות Zach. 3, 4.

Vers. 15. *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox ejus tanquam vox aquarum multarum.*

S tarum.

* *Vide Hieron. ad* Matth. 1. 1. 2. -- *Christi, filii Davidis, filii Abraham. Abraham genuit &c.*

tarum. Hæc descriptio personæ Filii Dei ex Daniele expressa est, Dan. 10. 6. *Pedes ejus quasi species æris candentis, et vox verborum ejus sicut vox multitudinis. Vox aquarum multarum* apud Joannem, & *Vox multitudinis* apud Danielem prorsus ἰσοδυναμοῦσι. Similiter cap. 19. 6. *Audivi,* inquit Joannes, *quasi vocem turbæ multæ, et sicut vocem aquarum multarum* &c. [Vide Comment. Apocal. ad cap. 14. 2. pag. 223.]

Cap. 2. vers. 7. *Qui vicerit, dabo ei edere de arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei.* Vid. infrà annot. ad cap. 22. 2.

Vers. 9. *Novi blasphemiam eorum qui dicunt se Judæos esse, & non sunt --- sed mentiuntur,* cap. 3. 9. Per Pseudojudæos hîc intelligendi sunt Pseudochristiani: scil. in Apocalypsi passim observare licet, *Judæos* sive Synagogam Israeliticam personam veræ Christi Ecclesiæ ex Gentibus surrogatæ sustinere: (Consule cap. 7. ubi Cœtus Ecclesiæ Christianæ exhibetur typo CXLIIII M. *ex omnibus tribubus Israelis signatorum*) *Gentes* contrà typum Idololatrarum ejusdémq; Ecclesiæ hostium: totâ nimirum parabolâ ex statu rerum sub Veteri Test. mutuatâ, in quo veri Dei cultus apud unum Israelem viguit; Gentes verò reliquæ Idolis & Deastris in universum inservierint. Hinc fit, ut ab isto typo, *signatorum ex omnibus tribubus Israelis* abjiciatur *Dan,* taceatur *Ephraim,* tanquam idololatriæ Israeliticæ * antesignani, iidémque tempore Regni, publicorum idolorum Danæ & Bethele hospites, proindéque religionis purioris cultoribus figurandis omnino inepti.

* Judic. c. 17. & c. 18.

Vers. 26, 27. *Qui vicerit* &c. --- *dabo ei potestatem in Gentes, Et reget eas virgâ ferreâ* &c.

[Vide

[Vide Comment. Apocal. ad cap. 12. 5. pag. 166, 167.]

Cap. 3, 4. Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα. Hîc & Act. 1. 15. ὀνόματα *nomina* sunt capita hominum, seu singuli homines: alibi hoc vocabulum aliâ atque aliâ significatione adhibetur. Plura vide in Comment. Apocal. ad cap. 11. 13. *Et occisa sunt in terræmotu* ὀνόματα ἀνθρώπων *nomina hominum septies mille.*

Vers. 5. *Hic amicietur vestimentis albis.* Vide infrà Annotat. ad cap. 7: 14.

Vers. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* [De duobus hisce thronis, *Christi* scilicet & *Patris*, Consule Tract. de *Posterioribus Temporibus* &c. pag. 35.]

Cap. 4. vers. 9, 10. Δώσουσι, πεσοῦνται, προσκυνήσουσι. *Futura* ex Hebræorum notione denotare solent actum vel *solitum*, 1 Sam. 20. 5. אֵשֵׁב vel *debitum*. Mal. 2. 7. יִשְׁמְרוּ. 2. Sam. 13. 12. יֵעָשֶׂה.

Vide Resp. ad D. Laureni Stricturas. p. 29.

Cap. 5. vers. 5. Ἡ ῥίζα Δαβίδ. Et cap. 22. 16. ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ, id est, ὁ ἐκ τῆς ῥίζης, ὁ ἐκ τοῦ γένους, ὁ ἀπόγονος τοῦ Δαβίδ, ῥιζογενὴς τοῦ Δ. Vide Esai. 11. 1.

Cap. 6. vers. 9. *Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei.* Hîc & in cap. 18. 13. cap. 20. 4. ψυχὴ *cadaver* significare videtur. Sic & in V. T. ψυχὰς *animas* non tantum *Personas* denotare sed & *Cadavera*, notum est. Psal. 16. 10. Act. 2. 31. Ezech. 44. 25. apud LXX. Levit. 19. 28. & alibi.

Vers. 11. *Et data sunt singulis stolæ albæ.* Vide annot. ad cap. 7. v. 14.

Cap. 7. vers. 9. *Posthac vidi, & ecce Turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & po-*